DE TROGI POMPEI
APUD ANTIQUOS AUCTORITATE.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS CROHN

SEDINENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXII.

Aulae Vimariensis officina typographica.

PARENTIBUS

S.

Ea ipsa aetate, qua T. Liuius ab urbe condita libros composuit, Trogus Pompeius primus omnium scriptorum Latinorum totius orbis terrarum, quantum quidem tum Romanis innotuerat, historias conscripsit.

Nec minus quam res, de quibus uterque egit, Trogi ratio narrandi abhorruit a Liuii »lactea ubertate«. Iustinus enim *Trogum orationem* quandam *obliquam exposuisse* tradit[1]), *quoniam in Liuio et in Sallustio reprehenderet, quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excessissent.*

Liuii uero nomen et apud aequales et apud posteros multo clarius fuisse mirum non est, cum praesertim Romani maiorem operam rebus Romanis quam exteris impertirent. Contra Trogi, quamquam a Plinio, qui de operibus ad historiam naturalem spectantibus loquitur, *auctor e seuerissimis* nominatur[2]), historiarum Philippicarum a nullo primi p. Chr. n. saeculi scriptore, cuius quidem libri nobis seruati sunt, mentio fit. Posteriore denique tempore ab Iustino *uir priscae eloquentiae* laudatur[3]), nec non saeculo quinto ineunte a Vopisco Trogus iuxta Sallustium, Liuium, Tacitum commemoratur[4]).

Fere iidem tamen fortunae casus Liuii atque Trogi libris acciderunt, quippe qui propter nimium ambitum in compendium coacti aut toti aut magnam partem interirent breuioribus epitomatorum libellis ab oculis lectorum paullatim summoti. Ita euenit, ut et paucorum librorum Liuianorum ipsa uerba a nobis legantur et Trogi Pompei

---

[1]) XXXVIII, 3, 11. [2]) nat. hist. XI, 52, 275. [3]) praef. 1.
[4]) Prob. 2, 7.

fere nulla; cuius operis praeter compendium a Iustino confectum supersunt prologi, qui singulorum librorum argumenta breuissime exhibent.

Erres autem, si Trogi libros ideo, quia raro laudantur, ignotos fere fuisse conicias. Opus enim ex diuersis Graecorum historicis congestum, quo, ut Iustini [1]) uerbis utar, *omnium saeculorum, regum, nationum populorumque res gestae continentur,* aptissimum erat, ex quo scriptores Romani sua haurirent. Et profecto Velleium Paterculum [2]), Valerium Maximum, Iulium Frontinum Trogi libris fonte usos esse dudum intellectum est. Qua de re cum parum accurate perquisitum sit, multa sunt incerta, ut operae pretium uideatur esse denuo quaestionem instituere, cum praesertim spes sit de Trogi auctoritate certiora statui posse.

Agetur uero in hac commentatione de eis auctoribus Romanis solis, qui sua ex Trogi h i s t o r i i s deprompserunt. Nam de eis scriptoribus, qui ex Trogi operibus ad naturalem historiam pertinentibus hauserunt, satis accurate A. de Gutschmid mihi uidetur disputasse [3]).

Sed priusquam ad ipsam quaestionem aggrediar, facere non possum quin uiris doctissimis praeceptoribusque carissimis Henrico Nissenio et Guilelmo Studemundio, qui et re et consilio mihi semper praesto aderant, ex animo gratiam referam quam maximam.

---

§ 1.

De Valerio Maximo.

Iam Kempfius [4]) Valerium Maximum praeter ceteros scriptores haud dubie Trogum Pompeium ducem habuisse

---

[1]) praef. 2.

[2]) cf. Seck, de Pompei Trogi sermone, Constantiae 1881, pag. 8 adnot. 15.

[3]) Ueber die fragmente des Pompeius Trogus und die glaubwürdigkeit ihrer gewährsmänner, in annal. philol. 1856—57, suppl. II pag. 179—186.

[4]) cf. Prolegomena editionis (Berolini 1854) pag. 21.

perspexit, cuius cum historiis, quantum ex Iustini excerptis colligi liceret, saepe congrueret. Cuius sententiae argumenta profert locos inter se comparandos Val. IX, 1, ext. 4 cum Iust. XXXVIII, 10 et Val. IX, 1, ext. 5 cum Iust. XXXVIII, 8. Idem Kempfius coniecit eas Valerii narrationes, in quibus Theopompi auctoritatem se sequi ipse profiteri uidetur, e Trogo Pompeio fluxisse, quem Theopompo praecipuo duce usum esse satis constaret. Contra has Kempfii opiniones, imprimis contra secundam, ita disputauit Gutschmidius [1]), ut hanc quaestionem denuo tractandam esse censeret.

Illustribus auctoribus, a quibus electa urbis Romae exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna se digessisse testatur Valerius Maximus, Trogum adnumerare nescio an eam ob causam dubitaueris, quod tot aliis nominibus in medium prolatis id ipsum, de quo agitur, reticuerit. At ne Liuium quidem et Ciceronem, quibus plurima eum debere constat, plus singulis locis laudauit [2]). Nec minus magna illa quam congessit Kempfius errorum copia refutatur opinio quasi Valerius multos libros et Latinos et Graecos [3]) perscrutatus indagatorem rerum potius se gerere uoluerit quam enarratorem. Quid quod peregrinam historiam uarietatis causa [4]) uel laxandi leuandique animi gratia uel remissiore animo [5]) se tractasse ipse profitetur!

Idem cum in materia rerum Romanarum congerenda eis solis auctoribus usus sit, ex quibus minimo negotio haurire sua posset, uelut Polybio non usus sit, ubi Liuium adeundi facultas data esset, eum in rebus exteris exhibendis non tam Graecorum auctorum quam Latinorum, qui quidem materiam facilem et idoneam praeberent, asseclam fuisse nostro iure concludemus [6]).

---

[1]) l. c. 187.

[2]) cf. Zschech, de Cicerone et Liuio Valerii Maximi fontibus, Berolini 1865, pag. 12 sqq.

[3]) cf. Zschech, l. c. thes. 1.

[4]) cf. Val. I, 6, ext. 1 et II, 10, ext. 1.

[5]) VI, 9, ext. 1.

[6]) Enmannus quidem in libro »untersuchungen über die quellen des Pompeius Trogus für die griech. u. sicil. gesch.«, Dorpati 1880,

Atque ex Liuio et Cicerone, quos praeter Sallustium in rebus domesticis narrandis Valerius imprimis secutus est, etiam in rebus externis multa hausit. Neque uero omnia ad hos reuocari possunt; eorum, quae neutri debentur, praecipuum fontem fuisse Trogi Pompei historias Philippicas cum coniecerunt homines docti tum certa ratione demonstrari potest.

Initium autem faciam ab eis exemplis, quae minimae obnoxia sunt dubitationi.

1. Val. IX, 10, ext. 1ª.

. . Tomyris, quae *caput Cyri abscisum in utrem humano sanguine repletum* demitti *iussit, exprobrans* illi *insatiabilem cruoris sitim* simulque poenas occisi ab eo filii sui exigens.

Iust. I, 8, 13[1]).

Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum conici regina (sc. Tomyris)[2]) *iubet* cum hac *exprobratione* crudelitatis: satia te, inquit, *sanguine, quem sitisti cuiusque insatiabilis semper fuisti.*

Cum his uerbis ea conferenda sunt, quae legimus apud Herodotum I, 214: ἀσκὸν δὲ πλήσασα αἵματος ἀνθρωπηίου Τόμυρις ἐδίζητο ἐν τοῖσι τεθνεῶσι τῶν Περσέων τὸν Κύρου νέκυν, ὡς δὲ εὗρε, ἐπανῆκε αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν ἐς τὸν ἀσκόν. λυμαινομένη δὲ τῷ νεκρῷ ἐπέλεγε τάδε· σὺ μὲν ἐμὲ ζῶσάν τε καὶ νικῶσάν σε μάχῃ ἀπώλεσας, παῖδα τὸν ἐμὸν ἑλὼν δόλῳ· σὲ δ' ἐγώ, κατάπερ ἠπείλησα, αἵματος κορέσω, quae uerba apte ad Iustinum Valerium-

pag. 110 exemplum Val. Max. III, 2, ext. 5 e Diodoro XV, 87 fluxisse putat. Agitur ibi de uerbo illo Epaminondae moribundi filias se pugnas apud Leuctram et Mantineam commissas relinquere. Ex silentio uero Iustini nihil colligi potest, quoniam ipse Enmannus Trogum et Diodorum eundem fontem primarium, i. e. Ephorum, secutos esse demonstrauit.

[1]) Iustini editione usus sum Ieepiana receptis eis emendationibus, quas publici iuris fecit Franciscus Ruehl, die textesquellen des Iustinus, in annal. philol. suppl. VI, 1872—3, pag. 3 sqq.

[2]) cf. Ruehl, pag. 116.

que quadrant additis eis, quae leguntur cap. 212 fin., ubi Tomyris minatur: *ἦ μήν σε ἐγὼ καὶ ἄπληστον ἐόντα αἵματος κορέσω.* Kempfius quidem (l. c. 23) Iustino neglecto Herodoti libros plurimis locis Valerium inspexisse eorumque praecipua et sola interdum auctoritate usum esse existimauit. Quod minime Kempfio concedendum esse contendo. Mirum enim esset cum octona eademque uerba eodem ordine apud utrumque scriptorem Latinum legi (nam inter uerba »amputatum« et »abscisum« minima intercedit differentia), tum uerba Valerii et Iustini (V. *exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim*; I. *cuiusque* [i. e. sanguinis] *insatiabilis semper fuisti*), quae Herodotus simillime *καὶ ἄπληστον ἐόντα αἵματος* Tomyrin, dum filii a Cyro occisi ultionem minatur, loquentem facit, post Cyrum a regina interfectum et mutilatum in contextu extare, ita ut Valerium sua non ex Herodoto, sed ex eodem fonte Latino, ex quo Iustinus hausit, id est ex Trogo hausisse in propatulo sit. Nec magis illud casui uidetur tribuendum esse, quod Herodoti *λυμαινομένη* ab utroque scriptore Latino uoce exprobrandi exprimitur.

Omnino autem Valerius hoc exemplum cum alio coniunxit, quod ab Herodoto alienum similiter apud Iustinum legitur:

Val. IX, 10, ext. 1 b.	Iust. XXVII, 1, 1 sqq.
Berenice, quae Laodices insidiis interceptum sibi filium . . .	Seleucus . . hortante matre Laudice . . Beronicen . . . cum paruulo fratre ex ea suscepto interfecit.

Secundo loco examinemus, quae de Dareo Hystaspis filio regnum adepto traduntur.

2. Val. VII, 3, ext. 2.	Iust. I, 10, 1 sqq.
Sordida magorum dominatione oppressa Darius sex adiutoribus *eiusdem dignitatis* adsumptis *pactum* cum praeclari	*Occisis magis* . . erant enim *uirtute et nobilitate ita pares* . . *pactique* inter se *sunt*, ut die statuta omnes equos ante

operis consortibus *fecit* ut equis insidentes *solis ortu* cursum in quendam locum dirigerent *isque regno potiretur, cuius equus in eo primus hinnisset.* Ceterum maximae mercedis conpetitoribus fortunae beneficium exspectantibus, solus acumine equisonis sui Oebaris *prosperum exoptatae rei effectum adsecutus est,* qui in equae genitalem partem demissam manum, cum ad eum locum uentum est, naribus equi admouit. Quo odore inritatus *ante omnes hinnitum edidit auditoque eo* sex reliqui summae potestatis candidati continuo *equis delapsi,* ut est mos Persarum, humi prostratis corporibus *Darium regem salutauerunt. Quantum imperium quam paruo interceptum est uaframento!*

regiam primo mane perducerent, *et cuius equus inter solis ortum hinnitum primus edidisset, is rex esset* . . . Et[1]) erat inter coniuratos Dareus, Hystaspi filius, cui de regno sollicito equi custos ait, si ea res uictoriam moraretur, nihil negotii superesse. Per noctem deinde equum pridie constitutam diem ad eundem locum ducit ibique equae admittit, *ratus* ex uoluptate ueneris *futurum quod euenit.* Postera die itaque, cum ad statutam horam omnes conuenissent, Darei equus cognito loco ex desiderio feminae *hinnitum statim edidit* . . . Tanta moderatio ceteris fuit, ut *audito auspicio confestim equis desilierint et Dareum regem salutauerint* . . . *Sic regnum Persarum* . . . *tam leui momento in unum conlatum est.*

Mireris prima et ultima uerba tam bene inter se congruere apud utrumque scriptorem, dolum autem Oebaris equisonis diuersa ratione narrari. Cuius rei causam facile intelleges collato Herodoto, qui III, 84 sqq. priore loco eodem modo, quo Iustinus, dolum narrat, deinceps sic pergit (87): *οἱ μὲν δή φασι τὸν Οἰβάρεα ταῦτα μηχανήσασθαι. οἱ δὲ τοιάδε (καὶ γὰρ ἐπ' ἀμφότερα λέγεται ὑπὸ Περσέων) κ. τ. ἑ.* et eam, quam legimus apud Valerium, narrationem adicit. Res igitur sic explicanda est: Trogum aeque atque Herodotum utramque doli formam descripsisse, Iustinum autem epitomatorem

---

[1]) delet Seck l. c. pag. 26.

alteram, alteram Valerium Maximum nescio qua causa uel quo casu in suum utrumque opus transcripsisse. Singulis enim uerbis apud scriptores Latinos eo, quo fit, modo inter se consentientibus, quin Valerius non Herodoti, sed Trogi fuerit assecla, dubitari nequit, cum praesertim et Valerius et Iustinus addant uerba inter se simillima, quae apud Herodotum desiderantur: cf. Val. *eiusdem dignitatis*. Iust. *erant enim uirtute et nobilitate ita pares*; Val. *prosperum exoptatae rei effectum adsecutus est*. Iust. *ratus futurum quod euenit*; Val. *quantum imperium c. q. s.* Iust. *sic regnum Persarum etc.* Contra prodigium, quod Herodotus equum subsecuto caeli fulgore tonitruque hinnitum edidisse dicit, a Latinis omittitur. Quae res non parui mihi uidetur momenti esse. Eo enim tempore, quo Trogus scripsit, talia portenta, qualia Herodotus pro ueris memoriae prodidit, haud ita saepe credebantur. Ad quam rem illustrandam hic proferatur illud Liuianum[1]): *non sum nescius ab eadem neglegentia, qua nihil deos portendere uulgo nunc credant, nuntiari admodum nulla prodigia in publicum neque in annales referri. Ceterum et mihi uetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus, et quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi uiri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quae in meos annales referam.* Contra Trogus, quem iam supra in rebus enarrandis aliis ac Liuium rationibus usum esse uidimus, tali religione non tentus prodigium ab Herodoto traditum in opus suum non recepit, quem secutus est Valerius Maximus.

Tertium addo locum, quo Herodotus in discrimen uocandus est.

3. Val. I, 7, ext. 5[b].	Iust. I, 4, 2.
quia similiter *quietis temporibus* existimauerat (sc. Astyages) *genitali parte* Mandanes *enatam uitem* eo usque cre-	Hic (sc. Astyages) *per somnum* uidit *ex naturalibus filiae* (i. e. Mandanes), quam unicam habebat, *uitem enatam*,

[1]) XLIII, 13, 1.

uisse, donec cunctas dominationis suae partes *inumbraret.*	cuius palmite omnis Asia *obumbraretur.*

Verba Herodoti I, 108 sunt haec: *ἐδόκεε δέ οἱ* (sc. Astyagi) *ἐκ τῶν αἰδοίων τῆς θυγατρὸς ταύτης* (i. e. Mandanes) *φῦναι ἄμπελον, τὴν δὲ ἄμπελον ἐπισχεῖν τὴν Ἀσίην πᾶσαν.*

Nescio an quispiam putauerit Valerium, quippe qui accuratius duo somnia, alterum quidem, priusquam Mandane Cambysi nupsisset, alterum post Cyrum nepotem natum, Astyagi uisa tradiderit, cum Iustinus posterius tantum commemoret, non ex Trogo, sed ex Herodoto sua deprompsisse. Considerandum uero uidetur esse nos non Trogi ipsius, sed epitomatoris uerbis uti, quem iam supra ex duplici memoria unam eligentem deprehendimus. Maius illud est, quod uterque auctor *ἄμπελον φῦναι* sermone Latino »*uitem enatam*« et *ἐπισχεῖν* »*inumbraret*« uel »*obumbraretur*« reddidit. Cum autem leuissimum discrimen inter praepositiones usitatas intersit, uix ac ne uix quidem fieri potuit, ut duo scriptores, quorum alter alterum non cognosset, uocem *ἐπισχεῖν* uerbo *in-* (siue *ob-*) *umbrandi* interpretarentur. Denique uterque, qua causa commotus Astyages filiam Persae in matrimonium dedisset, propriis uerbis declarauit (Val.: *non Medorum excellentissimo, ne in eius familiam regni decus transferretur, sed Persarum . . uiro collocando.* Iust.: *neque claro uiro neque ciui ne paterna maternaque nobilitas nepotis animum extolleret, sed ex gente obscura* c. q. s.), cum apud Herodotum (107) tantum causa haec legatur: *δεδοικὼς τὴν ὄψιν.* Similiter apud Latinos Cambyses est »*uir mediocris*« (Iust.) aut »*modicae fortunae*« (Val.), contra apud Herodotum (107) *οἰκίης ἀγαθῆς.* Quo consensu fons communis et Latinus fuisse Iustini et Valerii declaratur.

Certis argumentis postremo loco aliud adiungam, quod, si cui ambiguum uidebitur, iis, quae antea disputauimus, satis illustratur.

4. Val. III, 2, ext. 2.

(Dareus) cum sordida et crudeli magorum tyrannide Persas liberaret *unumque* ex iis *obscuro loco* abiectum *corporis pondere urgueret,* praeclari operis *socio* plagam ei inferre *dubitanti, ne, dum magum petit, ipsum uulneraret,* tu uero, inquit, nihil est, quod respectu mei timidius gladio utaris: *uel per utrumque illum agas licet,* dum hic quam celerrime pereat.

Iust. I, 9, 22.

Ipsi (sc. magi) tamen corripiuntur a pluribus (sc. coniuratorum): *quorum alterum* Gobryas *medium amplexus, cunctantibus sociis, ne ipsum pro mago transfoderent,* quia res *obscuro loco* gerebatur, *uel per suum corpus adigi mago ferrum iussit:* fortuna tamen ita regente illo incolumi magus interficitur.

Cum idem ordo enuntiatorum eademque uerba apud utrumque redeant, merae Valerii neglegentiae tribuendum est, quod pro Gobrya nomen celeberrimum Darei posuit. Scilicet incredibilem fere numerum rerum narratiuncularumque, quas Valerius foedis erroribus deprauauit et corrupit, Kempfius in prolegg. inde a pag. 26 congessit. Optime cum Iustino consentit Her. III, 78. Ceterum Valerium ex Trogo, non ex Herodoto hausisse eo quoque euincitur, quod neuter scriptor Latinus de eo, qui magum amplexus fuerat, alterum, cur ferire dubitaret, interrogante loquitur, Herodotus uero Gobryam interrogantem facit, *ὅ τι οὐ χρᾶται τῇ χειρί.*

Sed cum de Herodoto acta res sit, ad alia transeamus.

Ac primum quidem de Agathocle Syracusanorum rege Valerius prorsus eadem ac Iustinus tradit:

5. Val. VII, 4, ext. 1.

Agathocles autem, Syracusarum rex, *audaciter callidus.* Cum enim urbem eius maiore ex parte Karthaginienses occupassent, *exercitum suum in*

Iust. XXII.

4, 1: cum igitur uictores Poeni Syracusas obsidione cinxissent, *Agathocles . . . statuit bellum in Africam transferre: mira prorsus audacia,*

Africam traiecit, ut metum metu, uim ui discuteret, nec sine effectu. *Nam repentino eius aduentu perculsi Poeni* libenter incolumitatem suam salute hostium redemerunt *pactique sunt* ..... nunc *inferendo quae patiebatur*, dum *alienas potius lacessit* opes *quam suas tuetur.*	ut, quibus in solo urbis suae par non erat, *eorum urbi bellum inferret, et qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena* uictusque uictoribus insultaret ... 5, 7: *in repentino Poenorum metu* .., *qui tanta audacia hostium perculsi* .... 8, 15 cum quibus Agathocles *pacem* aequis condicionibus *fecit.*

Vix est quod moneam Valerium breuitatis studio et insita leuitate [1]) eo adductum esse, ut Syracusas maiore ex parte occupatas proderet, cum Iustinus de cincta urbe uerba faciat.

Aliam famam secutus est Diodorus [2]), cum libro uicesimo (XX, 1) de Agathocle rebusque ab eo gestis uerba faceret. Kemptius quidem demonstrasse sibi uidetur [3]) Valerium multa ex Diodori libris desumpsisse. Sed iam in primis huius capitis uerbis, in quibus de Valerii indole ac ratione narrandi accuratius egimus, Valerium fontes Graecos adiisse negauimus, quae sententia Colmanni commentatione [4]) plane comprobatur. Valerii autem et Iustini uerba si cum Diodoro comparaueris, mire, uelut antithesibus, inter se consentiunt: *α)* Val. *audaciter callidus.* Iust. *mira prorsus audacia.* *β)* Val. *repentino eius aduentu perculsi Poeni.* Iust. *et in repentino Poenorum metu tanta audacia hostium perculsi.* *γ)* Val. *nunc inferendo, quae patiebatur.* Iust. *eorum urbi bellum inferret.* *δ)* Val. *dum alienas potius lacessit opes quam suas tuetur.* Iust. *et qui sua tueri non*

[1]) cf. U. Koehlerum, qua ratione T. Liuii annalibus usi sint historici Latini atque Graeci describitur etc., Gott. 1860, pag. 14.

[2]) cf. Holm, Geschichte Siciliens, II, 378.

[3]) l. c. pag. 22.

[4]) de Diodori Siculi fontibus, Lipsiae 1869, pag. 57 sqq.

poterat, impugnaret aliena. Valerius igitur Trogum Pompeium secutus est[1]).

6. Val. V, 1, ext. 4.

Nam cum (Pyrrus) diris auspiciis *Argiuorum* inuasisset *urbem,* abscisumque eius *caput* Alcyoneus, *Antigoni* regis filius, *ad patrem* . . laetus uelut aliquod felicissimum uictoriae opus *attulisset,* Antigonus correpto iuuene . . . caput . . corporique Pyrri redditum honoratissime cremandum curauit. Quin etiam *filium eius Helenum captiuum* ad se pertractum et cultum et animum regium gerere iussit, *ossaque ei Pyrri* aurea inclusa urna *Epirum in patriam* ad Alexandrum fratrem *portanda dedit.*

Iust. XXV, 5.

. . Pyrrus *Argos* petit: ibi dum Antigonum in urbem clausum expugnare conatur . . . occiditur. *Caput eius Antigono refertur,* qui uictoria mitius usus *filium eius Helenum cum Epirotis sibi deditum* in regnum remisit *eique* insepulti *patris ossa in patriam referenda tradidit.*

Eadem fere Plutarchus uitae Pyrrhi cap. 34 memoriae prodidit. sed Helenum patris ossa in patriam reportasse disertis uerbis non commemorat. Kempfii[2]) sententiam Valerium ex Diodoro haec hausisse opinantis refutauit Collmannus[3]). Ex Liuio qui libro XIV nunc deperdito de Pyrrhi morte egit. Zschechius[4]) haec fluxisse mauult, quia. ut eius uerbis utar. »de Heleno. Pyrrhi filio. Valerius a Iustino abhorret *(captiuum ad se pertractum* legitur apud Valerium. apud Iustinum *Antigonus filium eius Helenum cum*

[1]) Quo efficitur falsam Enmanni (l. c. pag. 186) sententiam esse, qui de hoc loco habet haec: »Diese ganze tirade mit ihren antithesen ist für eine eigene kleine rhetorische leistung Iustins zu halten.«

[2]) l. c. pag. 22.

[3]) l. c. pag. 57 sqq. cf. Reuss, Hieronymus von Kardia, Berolini 1876, pag. 144.

[4]) l. c. pag. 40.

Epirotis sibi deditum in regnum remisit cet.)«. Quid intersit inter ista duo enuntiata Valerii et Iustini, non perspicio. Omnino uix Liuius tam accurate de his rebus exteris egisse putandus est.

Etiam in bellis, quae Pyrrhus contra Romanos gessit, narrandis ex Trogo haustum est. Zschechius[1]) quidem non perspicuum esse censuit Trogum etiam in rebus Romanis a Valerio esse adhibitum: nulla uero causa est, cur Valerius in eis, quae ex Trogo hauserit, angustis exterarum rerum finibus se continuerit.

Miro quodam modo in Romanis quoque rebus Valerius cum Iustino consentit.

7. Val. IV, 3, 14[a].

Continentia . . . cum . . a legatis eius (sc. Pyrri) tam uirorum quam feminarum apta usui munera circa domos ferrentur, *nulla cuiquam dono ianua patuit.*

Iust. XVIII, 2, 7.

. . Cineas Romam cum ingentibus a Pyrro donis missus *neminem, cuius domus muneribus pateret, inuenit.* Huic *continentiae* . . .

Conferas, quae de eadem Cineae legatione a Plutarcho in uita Pyrrhi cap. 18 produntur: *καὶ δῶρα παισὶν αὐτῶν καὶ γυναιξὶν ἔπεμψε*, id quod simillime apud Valerium legitur *(tam uirorum quam feminarum apta usui munera).* Cum autem Plutarchum et Trogum in rebus Pyrrhi narrandis eundem fontem adiisse constet[2]), ea uerba Valerio Plutarchoque communia Trogo quoque restituenda esse concedes.

Cum hoc exemplo alterum coniungendum est, quo de Pyrrho agitur.

8. Val. III, 7, 10.

Nam cum *eo bello, quod aduersus Pyrrum gerebatur, Karthaginienses centum ac tri-*

Iust. XVIII, 2, 1.

Interea Mago, dux Carthaginiensium, *in auxilium Romanorum cum centum XX*

[1]) l. c. pag. 40.

[2]) cf. Reuss, l. c. pag. 145 sqq.

ginta nauium classem in praesidium Romanis Ostiam ultro *misissent,* senatui placuit legatos ad ducem eorum ire, qui dicerent populum Romanum bella suscipere solere, quae suo milite gerere posset: *proinde classem Karthaginem reducerent.*

nauibus missus senatum adiit, aegre tulisse Carthaginienses adfirmans, quod *bellum in Italia a peregrino rege paterentur.* Ob quam causam missum se, ut, quoniam externo hoste oppugnarentur, externis auxiliis iuuarentur. Gratiae a senatu Carthaginiensibus actae *auxiliaque remissa.*

Quo modo Liuius hanc rem narrauerit, nescimus: eis enim uerbis, quae ep. 13 leguntur *(cum Carthaginiensibus quartum foedus renouatum est)* consensus quidem minor, nec tamen dissensus efficitur. De numero uero nauium certi quicquam statui uix potest, quoniam ex auctoritate codicis Valeriani F, qui *centum* XX habet, ut hanc lectionem in contextum recipiamus non adducimur.

Ad Trogi auctoritatem etiam ea referenda uidentur esse, quae de Cimone narrant

9. Val. V, 4, ext. 2.

. . qui *patri tuo sepulturam uoluntariis uinculis emere* non dubitasti. nam etsi *maximo* tibi *postea* et ciui et duci euadere contigit, plus tamen aliquanto laudis in carcere quam in curia adsecutus es: ceterae enim uirtutes admirationis tantum modo multum, *pietas* uero etiam amoris plurimum meretur.

Iust. II, 15, 18.

. . . cuius *magnitudinem futuram pietatis* documenta prodiderunt: quippe *patrem* ob crimen peculatus in carcerem coniectum ibique defunctum *translatis in se uinculis ad sepulturam redemit.*

Diodorus enim cum idem tradat X. 29 his uerbis: *(Κίμων) ἵνα λάβῃ τὸ σῶμα τοῦ πατρὸς εἰς ταφήν, ἑαυτὸν εἰς τὴν φυλακὴν παρέδωκε,* fons Valerii non fuit, quoniam fieri uix

potuit, ut uterque scriptor Latinus uerbum Graecum λαβεῖν eadem emendi uel redimendi imagine et translatione redderet, quin alter alterius librum ante oculos haberet. Immo Diodorus et Trogus ad eundem fontem primarium reuocandi uidentur esse. Accedit quod scriptores Latini uterque cum pietatem Cimonis tum magnitudinem futuram disertis uerbis praedicant.

Quibus rebus expositis, unde profecti sumus, eo reuertamur: Kempfii ac Gutschmidii dico sententias. Et certis quidem argumentis nos demonstrasse opinamur et Valerium numerum quendam exemplorum suorum ex Trogi Pompei historiis hausisse neque minus eas narratiunculas, quae et cum Herodoto et cum Trogo consentiunt, huic, non illi esse tribuendas.

Verba quidem Valerii et Herodoti miro modo concinere Kempfio concedendum est, id quod ea ratione homines quidam docti explicabant, ut Trogum Timagenis opus fontem adiisse dicerent. Timagenem autem prisca Herodoti uerba fere integra in opus suum transtulisse minus ueri simile est quam Trogum ex ipso Herodoto sua deprompsisse.

Gutschmidius uero rectissime statuisse mihi uidetur decerni non posse, utrum Liuio an Trogo Valerius nonnulla exempla debeat, quorum duo profert ipse Gutschmidius: Val. IX, 1, ext. 4 et 5 coll. Iust. XXXVIII, 8 et 10 et Liu. ep. LIX, nos adicimus tertium quartumque: Val. IX, 2, ext. 5 coll. Iust. XXXVIII, 8, 13, Liu. ep. LIX, Diod. XXXIV, 14 et Val. III, 3, ext. 7[1]) coll. Iust. XLIV, 5, 5 et Liu. XXI, 2. Quibus adiungenda sunt exempla haec: Val. Max. II, 6, 15 coll. Iust. XVIII, 5, 4, Her. I, 93, Ael. u. h. IV, 1 fin. Strab. XI, 532 fin., Val. Max. IV, 1, ext. 4 coll. Iust. V, 10, 9 et Corn. Nep. uit. Thrasyb. 3, 2, Val. Max.

[1]) Zschechio quidem auctore (l. c. pag. 29) hoc exemplum certo e Liuio fluxit.

VI, 9, ext. 6 coll. Iust. XXI, 5, 8 et Cic. Tusc. III, 12, 27, epp. IX, 18, 1.

De fabella Codri regis pro patria morientis Val. V, 6, ext. 1, Iust. II, 6, 16 in paragrapho secunda[1]) disputabimus; de Catone, Censorii filio, Val. III, 2, 16 loquemur, ubi de Frontini strategematon libris uerba faciemus[2]); quae ad res Alexandri Magni pertinent, eorum, cum de Q. Curtio Rufo agetur, ratio habebitur[3]).

§ 2.

De Velleio Paterculo.

Constat Velleium historiae Romanae breuem conspectum rerum exterarum praetexuisse. de cuius fontibus Kritzius[4]) »in asiaticis«, inquit, »et graecis rebus narrandis non uidetur graecos scriptores adiisse: sed qui ex istis sua hausissent, Trogum Pompeium et Cornelium Nepotem auctores habuisse putandus est, quorum ille in historiis Philippicis, hic in Chronicorum opere diligenter externa est persecutus«. De Cornelio quidem Nepote iam Herm. Sauppius[5]) disputauit; sed etiam de Trogo certa uel probabilia statui posse mihi persuasum est. Cum enim tam Velleius historiam Romanam in pauca uerba conferret, quam Iustinus

[1]) pag. 21.

[2]) pag. 48.

[3]) Narratiunculae Valerianae de Callisthene (VII, 2, ext. 11), de Callisthene et Clito et Lysimacho (IX, 3, ext. 1), de insolentia Alexandri (IX, 5, ext. 1) breuiores sunt, quam de quibus uberius disseri possit; neque uero quicquam obstat, quin Valerium eas ex Trogo sumpsisse statuas. — Nec certius iudicium protulerim de Val. I, 7, ext. 2 Alexandrum somnio cognouisse narrantis fore, ut a Cassandro interficeretur. Cuius somnii apud nullum alium auctorem mentio fit. Notabile est a Valerio Cassandri manum *pestiferam* appellari, quod adiectiuum semel a Curtio usurpatur: X, 10, 17 *pestiferum uirus*, quod Alexandro hauriendum datur. Sed cum Valerius hac uoce saepius utatur, audaculus sit, qui inde concludat utrumque scriptorem Latinum e communi fonte Latino illud recepisse.

[4]) ed. praef. pag. XXXVIII.

[5]) Schweizerisches museum f. hist. wiss. 1837. I, 145.

opus Trogi in breuem epitomen redigeret, et rarissime uerba accurate inter se congruere consentaneum sit, quamuis paucis locis conspirationem comprobare possimus, eo planius fit Velleium Trogo fonte esse usum.

1. Vell. I, 1, 1.	Iust. XLIV, 3, 2.
Teucer, non receptus a patre Telamone ob segnitiam non uindicatae *fratris* iniuriae, *Cyprum* adpulsus cognominem *patriae suae Salamina* constituit.	. . . post finem Troiani belli *Teucrum* morte Aiacis *fratris* inuisum *patri Telamoni*, *cum non reciperetur* in regnum, *Cyprum* concessisse atque ibi urbem nomine *antiquae patriae Salaminam* condidisse.

Eadem res ab aliis similiter narratur, cf. Paus. VIII, 15, 7: *πῶς δὲ Τεῦκρος ᾤκισεν ἂν Σαλαμῖνα ἐν Κύπρῳ πόλιν μηδενός, ὡς ἀνέστρεψεν ἐκ Τροίας, ἐκβαλόντος ἐκ τῆς οἰκείας; τίς δ' ἂν ἐξήλασεν ἄλλος πλὴν ὁ Τελαμὼν αὐτόν;* quae uerba si cum scriptoribus Latinis comparaueris, adeo inter se congruentes hos deprehendes, ut fontem communem Latinum statuenti mihi adstipulari uix dubites.

2. Vell. I, 1, 3.	Iust. XVII, 3, 7.
Qui (sc. Orestes) se etiam a Pyrrho, Achillis filio, uirtute uindicauit; nam . . . Delphis eum interfecit.	(Pyrrus, Achillis filius) Delphis insidiis Orestae, filii Agamemnonis, inter altaria dei interiit.

Qui locus hic adiungendus esse mihi uidebatur, quia Pyrrhi mortis memoria magnopere uariatur [1]). Quem cum praeter Velleium et Iustinum etiam Hyginus fab. 123 et Euripides Androm. 1085 sqq. ab Oreste interfectum esse narrent, nomine mutato non Pyrrhum, sed Neoptolemum nuncupant.

Quodsi concesseris Velleium haec Trogo debere, ea quoque, quae paulo ante a Velleio de Pyrrho narrantur, ad eundem fontem spectant:

[1]) cf. Ch. F. Bähr, Pauly, real-encyclop. V, 541.

3. Vell. I, 1, 1.
Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupauit.

Iust. XVII, 3, 3.
Post Pyrrus, Achillis filius, . . . in his locis (i. e. in Epiro) consedit.

Pluribus de Codri, Atheniensium regis, morte mihi disputandum est.

4. Vell. I, 2, 2.
Eodem fere tempore Athenae sub regibus esse desierunt, quarum ultimus *rex fuit Codrus,* Melanthi filius, uir non praetereundus. Quippe cum Lacedaemonii graui bello Atticos premerent, *respondissetque* Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, *eos futuros superiores, deposita ueste regia* pastoralem cultum induit *immixtusque castris hostium* de industria imprudenter rixam iniciens interemptus est.

Iust. II, 6, 16.
Erant inter Athenienses et Dorienses simultatium ueteres offensae, quas uindicaturi bello Dorienses de euentu proelii oracula consuluerunt. *Responsum superiores fore,* ni regem Atheniensium occidissent. Cum uentum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis praecipitur. *Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat,* qui et responso dei et praeceptis hostium cognitis *permutato regis habitu* pannosus, sarmenta collo gerens *castra hostium ingreditur:* ibi in turba obsistentium a milite, quem falce astu conuulnerauerat, interficitur.

De qua re cf. Val. Max. V, 6, ext. 1: Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro igniqne uastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit perque legatos sciscitatus est, quonam modo tam graue illud bellum discuti posset. Respondit deus ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset: quod quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis percrebruit, eoque factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus uulneraret. Id post-

quam cognouit, depositis insignibus imperii famularem cultum induit ac pabulantium hostium globo se obiecit unumque ex iis falce percussum in caedem suam compulit. Cuius interitu, ne Athenae occiderent, effectum est.

Famam esse uulgarem intellegis ex Lycurg. adu. Leocr. 84—87, qui ad nostros auctores, praecipue Iustinum, apte quadrat. Quare uerborum consensus imprimis ratio habenda est. Ac primo quidem obtutu Valerii uerba a Velleio Iustinoque ualde uidentur discrepare. Notanda autem esse putauerim haec:

Val.	Vell.
depositis insignibus imperii famularem cultum induit.	*deposita ueste regia pastoralem cultum induit.*

et Val.	Iust.
globo se obiecit unumque ex iis falce percussum in caedem suam compulit.	*ibi in turba obsistentium a milite, quem falce astu conuulnerauerat, interficitur.*

Itaque confici crediderim, ut ea uel similia Trogus quoque scripserit, ex quo Velleius alterum enuntiatum, alterum Iustinus seruauerit. Quod enim Valerius Codrum oraculum consulentem facit, non Lacedaemonios, minimi esse momenti unusquisque confitebitur, qui, quanta fuerit Valerii neglegentia, de qua supra dixi, meminerit [1]). Itaque et Valerium et Velleium hanc narrationem ex Trogo descripsisse pro certo affirmauerim.

Verba, quae sequuntur, ad eundem redeunt auctorem.

5. Vell. I, 8, 3.	Iust. II, 7, 1.
Deinde *annuis commissa* est *magistratibus res publica* (sc. Atheniensium).	administratio *rei publicae* (sc. Atheniensium) *annuis* [2]) *magistratibus permissa.*

Quibus quid addam, non habeo.

[1]) cf. Koehler l. c. 13. Kempf l. c. 34 cet.

[2]) cf. Ruehl, textesquellen pag. 119.

§ 3.

De Q. Curtio Rufo.

Fontes rerum ab Alexandro Magno gestarum, quibus uti nobis licet, imperatorum Romanorum temporibus conscripti sunt. Memoria autem est duplex: alteram sinceriorem, quae ad Ptolemaeum Aristobulumque reuocanda est, Plutarchus atque Arrianus, alteram Clitarchum praecipue secuti Diodorus Curtius Iustinus praebent. Augusti aetate de Alexandro sermone Graeco Diodorus et Timagenes, Trogus Latino egerunt, quos secutus est Claudio imperatore Curtius. Qui ex antiquiorum scriptorum numero Clitarchum et Ptolemaeum, ex recentioribus Timagenem laudat: neque uero raro contrarias sententias nominibus auctorum, quorum libris utitur, neglectis profert.

Curtius enim, ut ipse a superstitione est remotissimus omniaque fato atque rationi esse tribuenda censet, ita contra eos rerum scriptores, qui nimiam miraculis et portentis fidem ac credulitatem habent, saepius uerba facit: cf. IV, 15, 26: *ceterum, siue illud ludibrium oculorum siue uera species fuit, qui circa Alexandrum erant, uidisse se crediderunt paulum super caput regis placide uolantem aquilam,* cum Plutarchus (Alex. 33) reuera Aristandrum auem Alexandro monstrasse tradat. Deinceps ceteri auctores, cum Alexandri exercitum ad Hammonium proficiscentem nubibus repente caelo obductis leuatum adiutumque esse narrent (Diod. XVII, 49, 5, Arr. III, 3, 4, Plut. Al. 27), deorum auxilio id tribuunt: Curtius (IV, 7, 13) solus *siue illud,* ait, *deorum munus siue casus fuit.* Praeterea cf. Curt. VII, 10, 14 cum Plut. Al. 57 et Arr. IV, 15, 7 (in Diodori contextu lacuna hoc loco exstat); Curt. V, 6, 9: *ceterum aut de aliis quoque dubitabimus aut credemus* e. q. s.; IX, 1, 34: *equidem plura transscribo quam credo: nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi*; IX, 5, 21: *tanta componentium uetusta rerum monumenta uel securitas uel, par huic uitium, credulitas fuit*; X, 10, 12: *traditum magis quam creditum refero.* Contendere fortasse Curtium aduersus

Trogum Kaerstius[1]) opinatur coll. Curt. VIII, 1, 17 et Iust. XV, 3. Ibi enim Lysimachum ab Alexandro leoni esse obiectum traditur, cuius fabulae originem inuenisse Curtius sibi uidetur. Quam sententiam omnino esse probandam censeo, siquidem omnium scriptorum, qui de rebus Alexandri propriis huius consilii operibus egerunt — quantum quidem nobis uidere licet — nemo hanc rem tetigit nisi Curtius et Iustinus. Adde quod illud factum, de quo agimus, commemoratur etiam a Valerio Maximo IX, 3, ext. 1, quem in exterarum gentium exemplis Trogi auctoritati identidem se addixisse supra uidimus. Neque uero hoc unico loco Curtium ad Trogum spectare crediderim: Iustinus (XII, 7, 8) refert (quadrans ad Arr. V, 2. 6) in colle Nysaeo exercitum Alexandri repentino impetu mentis in sacros dei ululatus instinctum discurrisse, id quod Curtius eodem fere modo narrat additis uerbis *credo equidem non diuino instinctu, sed lasciuia esse prouectos.* Denique de Curt. VIII, 10, 36 uerba mihi facienda sunt, coll. Iust. XII, 7, 9, qui habet haec: (Cleophis) *concubitu redemptum regnum ab Alexandro recepit,* ad quae Curtius mihi respicere uidetur, cum scribat: *et credidere quidam plus formae quam miserationi datum.* Neque tamen certius affirmauerim hoc loco Curtium Trogi rationem habuisse, quoniam non constat, utrum uox illa Curtiana *quidam* comites Alexandri an rerum scriptores significet.

Ea uero re, quod interdum Curtius aliam ac Trogus sententiam professus est, minime efficitur eum alias Trogi libris non esse usum: quod quam uere contenderim, cum alia docere possunt tum ex Curt. IX, 5, 21 cogi non posse inter omnes fere constat Curtium ex Clitarcho nihil hausisse. Trogum quidem, quippe qui Alexandri rerum memoriam duobus libris complexus sit, fontem praecipuum fuisse confidenter negandum est. Sed caue minoris, quam par est, Trogi copiosam et accuratam rerum Alexandri memoriam aestimes: sane non modo epitomae Iustini libri XII et

---

[1]) Beiträge zur quellenkunde des Q. Curtius Rufus, Gothae 1878. p. 59.

XIII, quibus Alexandri Magni contra Persas expeditio narratur, multo maiorem quam plerique ceteri habent ambitum, sed etiam ex ratione et studiis illius, qua Trogus scripsit, aetatis eum non mediocriter in Alexandri rebus enarrandis uersatum fuisse apparet. Liuius enim non modo occasione data (VIII, 3 et 24, XLV, 9) regis illius mentionem fecit, sed etiam consulto ac cogitate collatione cum L. Papirio Cursore facta (IX, 16 fin.) tribus capitibus (17—19) de eius uitiis fortuna copiis disertis uerbis exposuit quaerens, *quinam euentus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit.*

Neque igitur ueri est dissimile Curtium rationem habuisse Trogi, quem Valerium Maximum Velleiumque Paterculum non raro secutos esse supra demonstrauimus.

Ac necessitudinem inter Curtium et Iustinum intercedere homines docti dudum perspexerunt[1]). Neque uero eo efficitur, ut Curtius omnia sua ex Trogo hauserit, sed ut uterque communes fontes — inter quos imprimis Clitarchus nominandus est — adierit. Quare ut perspici possit, quae ad eos fontes reuocanda sint, hic breuissime ea componam, quae eodem modo apud Iustinum et Curtium leguntur.

Iust.	Curt.	
XI, 7, 3 sqq.	III, 1, 11—18	Gordium.
8, 1—2	7, 7; 5, 10; 4, 1—2	expeditio in Ciliciam.
8, 3 sqq.	5—6	Alexander Tarsi aegrotus.
9, 2	8, 20	metus Alexandri.
9, 3	10, 4	orationes Alexandri.
		Proelium Issense nimis breuiter narrat Iustinus.
9, 13	12, 15	Alexander feminas captiuas uisit[2]).
10, 8—9	IV, 1, 15	Abdallonymus.

[1]) cf. quae Kaerst l. c. pag. 48 disseruit.

[2]) Iustinus Alexandrum cum Leonnato confundit.

Iust.	Curt.	
XI, 10, 10 [1])	IV, 2, 2	Tyrus (ubi Iustini epitoma breuissima est).
11, 2 sqq.	7, 5 sqq.	Ammonium.
11, 13	8, 1; 6.	Alexandrea condita.
12	1, 7—14; 5, 1—8; 11, 1—22	Epistulae.
13, 1	13, 16	Alexander ante pugnam apud Arbela commissam.
14, 3	15, 30; 16, 8—9	Dareus post pugnam [2]).
14, 10	V, 2, 11	Susa capta.
11	6	Persepolis.
14, 11—12	5, 5	Graeci truncati (numerus uario modo traditur).
15	12, 15—13, 24 + lacuna:	Dareus fugit, capitur, interficitur.
XII, 1, 1	VI, 2, 10	Pecunia militibus diuisa.
1, 6 sqq.	VI init.	Antipatri bellum contra Lacedaemonios gestum.
2, 16	X, 1, 44	Zopyrion a Scythis intercipitur.
3, 2	VI, 2, 15 sqq.	Tumultus militum.
3, 4	4; 5, 11	Hyrcani et Mardi subacti.
3, 5 sqq.	5, 24 sqq.	Thalestris.
3, 8—4, 1	6, 1—11	Alexandri luxuria.
5, 3	7 sqq.	Parmenio et Philotas interficiuntur (ubi Iustini epitoma nimis breuis est).
5, 9	VII, 3	Euergetae, Parapamesadae, Arii, aliae gentes subiectae.

[1]) de enuntiato Iustini *per proditionem capiuntur* cf. Enmann l. c. pag. 178.

[2]) Curtius fluuium falso *Cydnum* pro *Lyco* nominat. — In contextu Iustini legendum esse censeo: *tot milia suorum* pro *sociorum* cf. Jeep, adnotat. crit. ad XXXIV, 2, 3.

Iust.	Curt.	
XII, 5, 10	VII, 5, 36	Bessus.
5, 12	6, 25	Alexandrea ad Tanaim condita.
6, 1—16	VIII, 1, 22—2, 11	Alexander Clitum trucidat.
6, 18	1, 8; 3, 1	Charasmi et Dahae subiecti.
7, 1, 2	5, 5	Alexandri superbia. Callisthenes.
7, 6 sqq.	10, 7 sqq.	Nysa.
7, 9	10, 19	Cleophis.
7, 12	11, 2	Aornis.
8, 8	IX, 3, 23	Nicaea et Bucephala conduntur.
8, 9	2, 3	Praesidae, Gangaridae aliique populi expugnati.
8, 10	2, 4	Alexander reuertitur[1].
9, 1	3, 20	Alexander per Acesinem in oceanum deuehitur.
2	4, 2	Sibi, Mandri (Curt.: Malli),
3	15	Sudracae in dicionem recepti.
5	26	Alexander in summo periculo uersatur.
10, 2	8, 17	Sambi regis urbs. Ptolemaeus.
4	9, 27	Alexander ad oceanum uenit.
7	10, 2	itinere terrestri reuertitur.
8	X, 1, 2	Babylone praefecti rei facti necantur.
9	3, 12	Multa matrimonia.
11, 1	2, 9	Aes alienum militum soluit (uario modo traditur numerus).

[1]) Iustinus Sopithem cum Aggramme confundit.

Iust.	Curt.	
XII, 11, 4	X, 2, 12	Veterani dimittuntur; reliquorum seditio.
12, 1	3, 5	Alexander Persas adit.
	sequitur lacuna in contextu Curtiano.	
14, 6	10, 14	De ueneno, quo Alexander interfectus esse dicitur.
15, 2	5, 1	Alexander moribundus milites in conspectum admittit.
XIII, 1, 5	5, 19	Sisygambis luctus.
8	6, 24	Vulgus thesauros diripere gestit.
2, 14	7, 8—9	Tutores instituti.
3, 1	7, 7	Arrhidaeus rex appellatur.
7	8, 3	Perdiccae parantur insidiae.
4, 7	9, 11	Castrorum lustratio.
9	10, 1	Diuisio imperii.
5, 2	2, 4	Epistula quaedam Alexandri de exulibus in Graeciam missa.

Quibus rebus compositis ac comparatis Iustinum siue Trogum Pompeium et Curtium ad eundem fontem primarium esse reuocandos mecum censebis.

Restat ut ostendamus Curtium etiam ipso Trogo fonte usum esse.

Quam ob rem nonnulla, quae huc pertinent, accuratius nobis tractanda sunt adhibitis eis auctoribus, qui de eadem re referunt.

1. De morbo, in quem Alexander Tarsi, Ciliciae in urbe, incidit, cf. Iust. XI, 8, 3. Val. Max. III, 8, ext. 6. Curt. III, 5 sqq. Diod. XVII, 31. Plut. Al. 19. Arr. II, 4, 7.

Diodori uix ratio habenda est, qui sobrie saneque narrat Alexandrum acriore morbo affectum ceteris medicis

dubitantibus a Philippo Acarnane medicamento graui liberatum esse morbo.

Et apud Arrianum et apud Plutarchum duplex extat memoria: altera, quae teste Arriano ad Aristobulum reuocanda est, Alexandrum e nimiis corporis laboribus aegrotasse (Arr. *ὑπὸ καμάτου ἐνόσησεν.* Plut. *νόσον, ἣν οἱ μὲν ἐκ κόπων . . . προςπεσεῖν λέγουσιν*), altera lauationem nimis frigidam causam morbi fuisse tradit, eaque causa sola apud Latinos legitur. Morbi sanationem omnes eodem fere modo narrant et uerbis quidem magnam partem consentientibus, nisi quod Curtius aeque atque alibi in uerbis effusiorem affectat cultum.

a. Alexander aestu confectus in Cydnum, Tarsum urbem mediam interfluentem, amnem clarum frigidumque se immersit.

Arr. *ἱδρῶντα καὶ καύματι ἐχόμενον· ὁ δὲ Κύδνος ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως . . . ψυχρός τέ ἐστι καὶ τὸ ὕδωρ καθαρός.*

Plut. *λουσαμένῳ ἐν τῷ τοῦ Κύδνου ῥεύματι.*

Iust. Captus *Cydni fluminis* amoenitate [1]), *per mediam urbem influentis,* plenus *pulueris ac sudoris* in praefrigidam [1]) undam se proiecit.

Curt. *Mediam* (urbem) *Cydnus amnis interfluit* . . . diei feruidissimum tempus esse coeperat. *Puluere* simul *ac sudore* perfusum regem inuitauit *liquor fluminis,* ut calidum adhuc corpus ablueret.

Val. aestu et itineris feruore in Cilicia percalefactus, *Cydno, qui aquae liquore* conspicuus *Tarson interfluit,* corpus suum immersit.

Tres igitur auctores Latini id, quod apud Arrianum legitur *ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως* isdem uerbis exprimunt Cydnum amnem Tarson urbem interfluxisse; uulgatam enim Iustini lectionem *influentis per* tolerari non posse opinor: siquidem uocis *influere per* . . idem atque *interfluere* significantis alterum exemplum frustra quaesiui. Quare restituendum esse *mediam urbem interfluentis* subnascitur suspicio.

---

1) cf. Curt. III, 4, 9: (Cydnus) *frigidissimus,* quippe multa riparum *amoenitate* inumbratus.

b. Nisi Valerius et Curtius talem sententiam nemo habet:

Val.	Curt. 6, 3.
iacebat aeger Tarsi, inque ualitudine eius aduersa instantis uictoriae spes fluctuabat.	et uictoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset.

quae a Trogo repetenda uidetur esse.

c. De morbi genere tacet Plutarchus, Arrianus habet haec: *σπασμῷ τε οὖν ἔχεσθαι Ἀλέξανδρον καὶ θέρμαις ἰσχυραῖς καὶ ἀγρυπνίᾳ ξυνεχεῖ.*

Iust., Val., Curt. inter se consentientes neruorum rigorem perhibent.

Iust. tum repente tantus *neruos* eius occupauit *rigor.*

Curt. subito horrore *artus rigere* coeperunt.

Val. subito deinde ex nimio haustu *rigoris obstupefactis neruis.*

En uerba apud Latinos egregie congruentia! Etiamsi enim Valerius rigorem ad frigidam undam, non ad torpentes neruos transfert, tamen eum hoc uerbum ex Trogo deprompsisse Curtii et Iustini consensus docet.

d. Luctum exercitus commemorant

Val.	Curt.
maxima cum exanimatione totius exercitus.	ingens sollicitudo et paene iam luctus in castris erant. Flentes querebantur e. q. s.

e. Ceteris medicis consilii auxiliique inopibus Philippus, qui a Valerio et Curtio Alexandri *comes* appellatur, medicamentum se esse paraturum ait.

f. Parmenionis litterae afferuntur (ex Cappadocia Curtio testante, Plutarcho e castris [1]).

g. Alexander haurit medicamentum.

α Iust., Plut., Arr.: dum Philippus epistulam legit.

[1]) cf. quae de hac re disputauit Fr. Ruehl (annal. philol. 1881, pag. 338).

β. Curt. et Val.: Alexander postquam medicamentum hausit, litteras legendas Philippo tradit. Quem narrandi modum nisi Valerii et Curtii ornatu atque augmento rhetorico, quae utrique maximae curae erant, effectum explicare non possum; sane luce est clarius multo magis Alexandri fiduciam illuminari, si Alexandrum prius bibisse, deinde litteras dedisse Philippo narraueris. At fortasse quispiam dixerit Curtium sua sumpsisse e Valerio; quod fieri non potuit, quoniam Valerius Alexandrum in oppidum castris propinquum, Curtius in tabernaculum deferri tradunt.

h. Nec praetereunda uidentur haec:

Iust.	Curt. 6, 11.
ut *securum* (sc. medicum) conspexit, *laetior* factus est.	Non *securum* modo haec uox (sc. Philippi), sed etiam *laetum* regem ac plenum bonae spei fecit.

Adiectiua enim *securus* et *laetus* saepius Trogus coniunxisse uidetur, cf. Iust. XIII, 2, 1, XLII, 4, 8.

i. Iustinus denique et Curtius soli tradunt Alexandrum quarta die uel, ut scribit Curtius, post tertium diem sanitatem recepisse.

Quibus rebus expositis Iustinum Valerium Curtium necessitudine coniungi quis est quin concedat? Apud quos uerba adeo inter se congruunt, ut non unumquemque eorum fontem Graecum adiisse conici liceat, sed communis fons Latinus statuendus sit.

2. De captiuis Persarum feminis cf. Iust. 9, 14. Curt. III, 12, 7 sqq. Val. IV, 7, ext. 2. Diod. XVII, 37, 5. Plut. Alex. 21. Arr. II, 12, 6.

Quae narratiuncula ad quos fontes primarios reuocanda sit, ex Arriano perspicitur: Alexandrum Leonnatum praemisisse Ptolemaeus et Aristobulus tradiderunt; ipsum quoque Alexandrum feminas uisisse fama erat uulgaris. Prior memoria sola legitur apud Plutarchum, utraque apud ceteros

exceptis Valerio et Iustino, qui breuitati quam maxime studens duplicem Leonnati et Alexandri cum captiuis congressum perperam in unum contraxit. Verba autem apud scriptores Latinos aduersus Graecos ita consentiunt, ut eos eundem fontem Latinum adiisse statuendum sit:

Iust.	Curt.
conspectis armatis inuicem se amplexae.	*ut armatos conspexere,* rati actum esse de dominis.
Prouolutae deinde genibus Alexandri non mortem, sed, dum Darei corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur.	Itaque mater et coniux *prouolutae* ad pedes orare coeperunt, ut, priusquam interficerentur, Darei corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio inpigre sese morituras.
Motus tanta *mulierum pietate* Alexander . . .	6: Alexander fortunae Darei et *pietati earum* inlacrimasse fertur.

Conferri etiam haec possunt:

et Dareum uiuere dixit et timentibus mortis metum dempsit easque et haberi et salutari [1]) ut *reginas* praecepit.	12: *et uiuere Dareum* et ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatu pristinae fortunae *reginas* fore.

Val.	Curt.
excusationis uerba quaerebat.	ignorationem numquam antea nisi regis *excusans.*
coll. Diod. et	Arr.
αἰδεσθεῖσα τὴν ἄγνοιαν πάλιν ἐξ ἀρχῆς προσεκύνει.	*τὴν μὲν καταιδεσθεῖσαν τῇ διαμαρτίᾳ ὑποχωρεῖν.*

3. Tyrios Alexandro coronam auream misisse ab eoque petiisse, ut Palaetyri sacrificaret, Iustinus et Curtius soli testes sunt:

[1]) cf. Ruehl, textesquellen, p. 95.

Iust. XI, 10, 10.

Tyriorum ciuitas cum *coronam auream* magni ponderis *per legatos* . . . misisset, *grate munere accepto* Tyrum *se ire uelle* ad uota *Herculi* reddenda *dixit. Cum legati rectius id cum Tyro uetere* et antiquiore templo *facturum dicerent* . . .

Curt. IV, 2, 2.

Coronam igitur auream donum *legati* (sc. Tyriorum) adferebant . . Ille *dona ut ab amicis accipi iussit* . . . *Herculi* . . . sacrificare *uelle se dixit* . . . *Legati respondent* esse templum Herculis . . in ea sede, quam *Palaetyron* ipsi uocent: *ibi regem deo sacrum rite facturum* . . .

cf. Diod. XVII. 40. 2: *οἱ δὲ Τύριοι βουλομένου τοῦ βασιλέως τῷ Ἡρακλεῖ τῷ Τυρίῳ θῦσαι προπετέστερον διεκώλυσαν αὐτὸν τῆς εἰς τὴν πόλιν εἰσόδου*, et Arr. II, 16, 7: *Τούτῳ τῷ Ἡρακλεῖ τῷ Τυρίῳ ἔφη ἐθέλειν θῦσαι Ἀλέξανδρος* . . . . *ἔδοξέ σφισι* . . . . *εἰς δὲ τὴν πόλιν μήτε τινὰ Περσῶν μήτε Μακεδόνων δέχεσθαι.* Cum quibus Graecorum uerbis ubi comparaueris Iustini et Curtii uerba, consensu Latinorum communem fontem Latinum doceri mecum consenties.

4. Sed alia proferamus testimonia: conferas ea, quae de Alexandrea. Aegypti urbe, condita traduntur: Iust. XI, 11, 13. Val. I, 4, ext. 1. Curt. IV, 8. Diod. XVII, 52. Strab. XVII, 1 (pag. 792). Plut. 26. Arr. III, 1, 5.

Iustinus quidem breuissime regem ab Ammonis oraculo redeuntem urbem condidisse et caput Aegypti constituisse memoriae prodit.

Ex Valerio autem cum Curtio comparato demonstrari posse speramus apud Trogum quoque accuratius de ea re actum esse.

De tempore, quo condita sit Alexandrea, duplex est memoria: Arrianus et Plutarchus Alexandro ad oraculum proficiscente, Diodorus Curtius Iustinus redeunte ab Ammonio hoc factum esse uolunt. Strabo et Valerius de ea re nihil referunt.

Val., Curt., Strab., Plut., Arr. (Arr.: *λέγεται δέ τις καὶ τοιόσδε λόγος*) ostentum futurae urbis magnitudini laetissi-

mum tradunt. Nam cum creta ad urbis circuitum definiendum deesset, orbis muris farina destinatus est. Iidem auctores exceptis Strabone et Arriano magnos auium greges aduolasse narrant polentaque esse pastas, quod faustissimum auspicium uates interpretati sunt.

In qua re enarranda miro modo Curtius errat, cum dicat haec: »Fama est, cum rex orbem futuris muris polenta, ut Macedonum mos est, destinasset ..«: Macedonas enim in urbibus condendis et liniamentis definiendis polenta uti solitos esse nusquam memoriae proditum est, immo milites Macedones teste Arriano[1]) polentam secum portare assueuerant, quam Curtii neglegentiam non magni esse momenti puto. Maxime autem Valerius (cuius hic non habemus nisi Iulii Paridis epitomen) et Curtius inter se consentiunt:

Curt.	Val.
Fama est, cum rex orbem *futuris muris polenta,* ut Macedonum mos est, *destinasset, auium greges* aduolasse et *polenta esse pastas*: cumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum, *respondisse uates* magnam illam urbem *aduenarum frequentiam* culturam, multisque eam terris *alimenta* praebituram.	Cum rex Alexander urbem in Aegypto constituere uellet, architectus Dinocrates cum cretam non haberet *polentaque futurae urbis liniamenta deduxisset,* ingens *auium multitudo* proximo lacu emersa *polentam depasta est,* quod *sacerdotes* Aegyptiorum *interpretati* sunt *conuenarum frequentiae alimentis* suffecturam urbem.

Valerium hic sinceriorem Curtio memoriam seruasse e Plutarcho liquet, qui eandem rem his uerbis describit: . . . *αἰφνίδιον ὄρνιθες ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς λίμνης πλήθει τε ἄπειροι καὶ κατὰ γένος παντοδαποὶ καὶ μέγεθος ἐπὶ τὸν τόπον καταίροντες νέφεσιν ἐοικότες οὐδὲ μικρὸν ὑπέλιπον τῶν ἀλφίτων, ὥστε καὶ τὸν Ἀλέξανδρον διαταραχθῆναι πρὸς τὸν οἰωνόν. Οὐ μὴν ἀλλὰ τῶν μάντεων θαρρεῖν*

[1]) cf. Arr. III, 2, 1: *ὅσα ἐν τεύχεσιν ἄλφιτα οἱ στρατιῶται ἐκόμιζον.*

παραινούντων (πολυαρκεστάτην γὰρ οἰκίζεσθαι πόλιν ὑπ' αὐτοῦ καὶ παντοδαπῶν ἀνθρώπων ἐσομένην τροφόν) . . .

Valerii igitur uerbis *proximo lacu emersa* accurate respondent Plutarchi ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς λίμνης et Valerianis *conuenarum frequentiae* cet. Plutarchea παντοδαπῶν ἀνθρώπων ἐσομένην τροφόν. Verba autem apud Valerium et Curtium consentientia uelut *futura urbs,* cuius simile nihil habet Plutarchus, *polenta esse pastas* et *polentam depasta est* (cf. Plut. οὐδὲ μικρὸν ὑπέλιπον τῶν ἀλφίτων), *aduenarum frequentiam* et *conuenarum frequentiae* (cf. Plut. παντοδαπῶν ἀνθρώπων) — uerba igitur consentientia tam conspicua sunt, ut uterque ad unum eundemque fontem Latinum reuocandus sit.

5. De litteris inter Alexandrum Dareumque et missis et allatis cf. Iust. XI, 12. Val. VI, 4, ext. 3. Curt. IV, 1, 7—14; 5, 1—8; 11, 1—22. Diod. XVII, 39; 54. Plut. Alex. 29. Arr. II, 14 et 25.

Monendum autem est nullam esse differentiam, utrum de legatis, qui pacis condiciones tradant, an de epistulis, quibus perscriptae sint, uerba fiant, cf. Arr. II, 14, 1: ἀφίκοντο παρὰ Δαρείου πρέσβεις ἐπιστολήν τε κομίζοντες Δαρείου καὶ αὐτοὶ ἀπὸ γλώσσης δεησόμενοι κ. τ. ἑ.

Dareum ter pacem ab Alexandro petiisse narrant Diodorus Iustinus Curtius, bis petiisse Arrianus, semel Valerius et Plutarchus. In quibus Valerium de singulis litteris ideo locutum esse intellegitur, quod ex compluribus exemplis unum proposuerit.

Uno excepto Iustino omnes scriptores belle id dictum tradunt Alexandrum, cum Parmenio condicionibus Darei utendum esse censuisset, respondisse: et ego uterer, si Parmenio essem. Quam narratiunculam, quoniam et apud Valerium et apud Curtium legitur, Trogi historiae restituendam esse, omissam ab epitomatore Iustino, mihi concedes.

Valerius et Plutarchus de finibus dissentiunt, ad quos usque Dareus Alexandro terram concedere in animo habuerit, et de numero talentum, quibus captiuae redimantur. De

Tauro autem fine praeter Valerium nemo loquitur; itaque nos non multum a uero abhorrere putamus, si hic quoque errorem Valerii deprehendisse nobis uidemur [1]).

Id quod Valerius et Plutarchus memoriae produnt, apud Diodorum Iustinum Curtium legationi tertiae, apud Arrianum secundae respondet. Et Iustinus et Curtius triginta milibus talentum, Diodorus tribus milibus, Arrianus et Plutarchus decem milibus Dareum feminas captas redimere studuisse tradunt. De Valerio cf. Kempfium l. c. p. 26 cet.

Prima Arriani legatio omnino nulli alii respondet: Dareus se amicum et socium Alexandri futurum esse pollicetur, si captiuas liberauerit. Sed fere accurate inter se consentiunt [2]) apud Arrianum et Curtium ea, quae Alexander Dareo respondet. De Maratho quoque, in qua urbe Alexander Darei litteras accepit, Curtius et Arrianus consentiunt.

De singulis epistulis haec notanda sunt:

1. a. [3]). Diod., Curt., Iust.: Dareus magnam neque uero certo constitutam pecuniam offert. Diodorus contra Iustinum Curtiumque terram usque ad Halyn addit.

b. Iust.: Alexander totum Persarum regnum postulat. Diod.: Alexander condiciones se posse accipere negat. De Curtio supra egimus.

2. a. Curt. et Diod.: Dareus uictori terram usque ad Halyn promittit se esse concessurum: Iust.: regni portionem. Praeterea Iust. et Curt. consentientes: filiam in matrimonium ducendam. Diod. duo milia talentum adicit, de quibus neque Curtius neque Iustinus quicquam habent.

b. Diod.: Alexander condicionibus propositis non est contentus. Iustinus autem et Curtius artius inter se cohaerent:

---

[1]) cf. quae Kempfius ad hunc locum adnotauit p. 497.

[2]) Petersdorffius »Diodorus, Curtius, Arrianus quibus ex fontibus . . . hauserint« Gedani 1870, pag. 17, nulla probabili causa ad suum arbitrium uerba Curtiana disposuit.

[3]) Numerus primarius cet. primas cet. litteras designat; litteris a et b epistulae Darei et Alexandri discernuntur.

Iust. XI, 12, 4.	Curt. IV, 5, 7.
Sed Alexander *sua sibi dari* rescripsit iussitque supplicem uenire, *regni arbitria uictori permittere.*	Alexander . . respondit *Dareum sibi aliena promittere* et, quod totum amiserit, uelle partiri . . *Leges autem a uictoribus dici*, accipi a uictis.
Tunc *spe pacis amissa bellum Dareus reparat.*	6, 1: *Dareus desperata pace* . . . *ad reparandas uires bellumque* . . renouandum intendit animum.

Quorum nihil praebet Diodorus, cuius hoc loco solius ratio habenda est.

3. Interea uxor Darei mortua atque ab Alexandro honestissime sepulta est. Apud Diodorum, qui hanc rem posteriore demum loco affert, Dareus gratias agit, quod Alexander feminas regias tam benigne tractauerit, Iustino uero et Curtio auctoribus uxoris mors et sepultura epistulae causa est. Plutarchus quoque, postquam de epistula perorauit, mortis mentionem facit.

Verba autem Iustini et Curtii consentientia, qualia non exstant apud ceteros, notabilia sunt haec:

Iust. XI, 12, 7.	Curt. IV, 10, 24.
Nam semel tantum eam (sc. Darei uxorem) *Alexandro uisam esse, cum matrem* paruulasque filias eius frequenter *consolaretur.*	*Semel omnino eam uiderat,* quo die capta est, nec ut ipsam, sed *ut Darei matrem uideret.*

a. Diod., Curt., Iust.: Dareus, quidquid inter Hellespontum et Euphraten est, et filiam in matrimonium ducendam offert; Curt. addit, ut Ochus filius obses retineatur. Diod.: tria milia talentum, Curt. et Iust. triginta milia; praeterea Diod: Dareum esse paratum, Alexandrum filium et imperii participem arrogare.

b. Sequitur apud Diodorum et Curtium narratiuncula illa, quam apud Iustinum deesse supra commemorauimus. Apud Curtium autem deest comparatio illa, quae legitur apud Diodorum et Iustinum, mundum a duobus solibus regi non posse.

Singulos numeros a me prolatos si inspexeris, artissimum intercedere conexum inter Curtium et Iustinum concedes. Itaque cum Curtius et Iustinus contra ceteros auctores diuersa narrantes non raro consentiant atque etiam uerba utriusque auctoris congruant, Curtium Trogi historias inspexisse admodum est ueri simile.

6. De Dareo a suis capto et interfecto Diodorus (XVII, 73, 2) et Arrianus (III, 21) breuiores sunt, quam quorum ratio sit habenda. Maxime cum Iustino XI, 15, 1 sqq. et Curtio V, 12, 15 cet. consentit Plutarchus 43. Sed contra Plutarchum quoque in his rebus congruunt inter se Curtius Iustinusque.

Iust.	Curt.
1: *aureis conpedibus* catenisque in uico Parthorum Thara *uincitur.*	20: *aureis compedibus* Dareum *uinciunt.* XIII, 2: Tabas . . . peruenit.
3: Alexander quoque *citato cursu* postera die superuenit;	5: igitur *raptim* agmen *cursus* magis quam itineris modo ducit . . . Itaque D stadia processit, peruentumque erat in uicum, in quo Dareum Bessus conprehenderat (i. e. Tharam).
ibi cognouit Dareum clauso uehiculo per noctem exportatum.	7: *ibi* Melon . . excipitur . . . . Ex hoc acta *cognoscit.*
	10: *phalange* . . *sequi iussa*.
4: *Iusso* igitur *exercitu subsequi cum sex milibus equitum* fugientem insequitur.	8: itaque *delectis equitum VI milibus* C C C, quos dimachas appellabant, adiungit.

Corpus Darei ubi repertum sit, ex Plutarchi descriptione non est perspicuum: Macedones castris captis *παρερχόμενοι τοὺς πρώτους ἐδίωκον.* Contra

Iust. XI, 15, 5.	Curt. V, 13, 23.
unus ex militibus, dum *ad fontem proximum* pergit	*Haud procul erat fons*, ad quem monstratum a peritis Polystratus Macedo siti maceratus accessit.

Plutarchum simili fonte primario ac Trogum usum esse eo efficitur, quod Plutarchi πιὼν ὕδωρ ψυχρόν fontem indicat et Plutarchus quoque Macedonem Polystratum appellat.

Magnam, quae deinde apud Curtium sequitur, lacunam ex eis solis, quae Iustinus et Plutarchus de Dareo moriente scripserunt, supplendam esse censeo.

7. De morum commutatione et luxuria Alexandri.

Iust. XII, 3, 8.	Curt. VI, 6, 4.
Post haec Alexander *habitum regum Persarum et diadema..., uelut in leges eorum, quos uicerat, transiret,* adsumit.	(Alexander) purpureum *diadema* distinctum albo, *quale Dareus habuerat,* capiti circumdedit... ne omen quidem ueritus, quod *a uictoris insignibus in deuicti transiret habitum.*
amicos quoque suos longam uestem... sumere iubet.	7: *Amicos uero* et equites... *Persicis* ornauerat *uestibus.*
Ut luxum quoque sicut cultum Persarum imitaretur, inter paelicum regiarum greges... noctium uices diuidit.	8: Pelices C C C et LXV, totidem quot Darei fuerant, regiam inplebant.
12: *tantas opes amitti his moribus, non quaeri solere.*	9: *plus amissum uictoria, quam bello esse quaesitum.*
4, 1: Inter haec indignatio omnium *totis castris* erat...	9: haec luxu et peregrinis infecta moribus ueteres Philippi milites... palam auersabantur *totisque castris* unus omnium sensus ac sermo erat.

Quibus similia Diodorus 77, 4 habet haec: *ἤρξατο ζηλοῦν τὴν Περσικὴν τρυφὴν καὶ τὴν πολυτέλειαν τῶν Ἀσιανῶν βασιλέων .... εἶτα τό τε Περσικὸν διάδημα περιέθετο καὶ τὸν διάλευκον ἐνέδυ χιτῶνα .... διέδωκε δὲ καὶ τοῖς ἑταίροις περιπορφύρους στολάς ... πρὸς δὲ τούτοις τὰς παλλακίδας ὁμοίως τῷ Δαρείῳ περιήγετο, τὸν μὲν ἀριθμὸν οὔσας οὐκ ἐλάττους πλήθει τῶν κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἡμερῶν, κάλλει δὲ διαπρεπεῖς,*

(cf. Iust. *electae pulchritudinis*) . . . *ὅμως δὲ πολλῶν (Μακεδόνων) αὐτῷ μεμψιμοιρούντων τούτους μὲν ταῖς δωρεαῖς ἐθεράπευεν (φοβούμενος τὸ προσκόπτειν τοῖς Μακεδόσιν* = Curt. 11 : ille non ignarus et principes amicorum et exercitum grauiter offendi, gratiam liberalitate donisque reparare temptabat). Ipsa comparatione cum Diodoro facta manifestum fit, quam arte Iustinus et Curtius, qui eadem narranda et omittenda elegerunt, cohaereant, quam accurate et singula uerba et singulae sententiae inter se respondeant.

8. De militibus Alexandrum redire cogentibus.

Iust. XII, 8, 12.	Curt. IX, 3, 10.
Ostendere alius canitiem, alius *uulnera*, alius *aetate consumpta corpora*, alius *cicatricibus exhausta*.	Intuere *corpora exsanguia*, tot *perfossa uulneribus*, tot *cicatricibus putria*.

Similia apud ceteros non leguntur (cf. Arr. V, 27, 6: *καὶ οὔτε τοῖς σώμασιν ἔτι ὡσαύτως ἐρρωμένοι, ταῖς τε γνώμαις πολὺ ἔτι μᾶλλον προκεκμηκότες*; Diod. 94: *Ὁρῶν δὲ τοὺς στρατιώτας ταῖς συνεχέσι στρατείαις καταπεπονημένους καὶ . . . . ἐν πόνοις καὶ κινδύνοις τεταλαιπωρηκότας*).

9. De Alexandro ex India redeunte.

Iust. XII, 10, 7.	Curt. IX, 10, 2.
Inde *iter terrestre facturus*, *cum arida loca* medii itineris dicerentur, *puteos* opportunis locis *fieri* praecepit.	Leonnato deinde praemisso, *ut puteos foderet, qua terrestri itinere ducturus* exercitum uidebatur — *quippe sicca erat regio* . .

Contra Arrianus (VI, 20, 4 et 21, 3) puteos non exercitui, sed classi, quae praeter oram maritimam nauigaret, factos esse memoriae prodit.

10. De Alexandro milites castigante.

Iust. XII, 11, 8.	Curt. X, 2, 30.
(Alexander) ad *corripiendos* seditionis auctores *e tribunali*	*Desiluit* deinde frendens *de tribunali* et in medium *ar-*

in contionem *armatam* inermis ipse *desiluit* et *nemine prohibente tredecim correptos manu* sua ipse ad supplicium duxit.	*matorum* agmen se immisit, notatos quoque, qui ferocissime oblocuti erant, singulos *manu corripuit nec ausos repugnare XIII* adseruandos custodibus corporis tradidit.

Conexum inter scriptores Latinos artissimum, qui nisi ex eodem fonte utrumque hausisse sumas, explicari non potest, demonstrat Diodorus, qui hoc loco (109, 2) habet haec: *καταπληξάμενος δὲ (Ἀλέξανδρος) τὸ πλῆθος ἐτόλμησεν αὐτὸς καταβὰς ἀπὸ τοῦ βήματος τοὺς αἰτιωτάτους τῆς ταραχῆς ταῖς ἰδίαις χερσὶ παραδοῦναι τοῖς ὑπηρέταις πρὸς τὴν τιμωρίαν.*

11. De Alexandro exercitum ultimum salutante: Iust. XII, 15, 2. Val. V, 1, ext. 1b. Curt. X, 5, 1. Plut. 76. Arr. VII, 26, 1. Diodorus de ea re nihil tradit. Plutarchus breuissima haec habet: *(οἱ Μακεδόνες) ἐν τοῖς χιτῶσι καθ' ἕνα πάντες παρὰ τὴν κλίνην παρεξῆλθον.* Iust., Val., Arr. Alexandrum exercitum salutasse tradunt, id quod in Curtii descriptione propter magnam codicum ex communi archetypo oriundorum lacunam non legimus. Verba autem Iustini et Valerii bene consentiunt:

Iust.	Val.
osculandamque dextram suam flentibus *porrexit.*	in cubitum tamen erectus[1]) *dexteram* omnibus, qui eam contingere uellent, *porrexit.* Quis autem illam *osculari* non curreret, . . .

Ea, quae Iustinus et Valerius praebent, ad unum fontem Latinum redire comparatio cum Arriano facta docet: *(Ἀλέξανδρον) ἄφωνον μὲν εἶναι λέγουσι παραπορευομένης τῆς*

---

[1]) similiter Curt. X, 5, 3: »in eodem habitu corporis, in quem se conposuerat«, id quod ad Trogum redire uidetur.

στρατιᾶς· δεξιοῦσθαι δὲ ὡς ἑκάστους τήν τε κεφαλὴν ἐπαίροντα μόγις καὶ τοῖν ὀφθαλμοῖν ἐπισημαίνοντα.

Sed Curtium quoque hoc loco ad Trogi auctoritatem reuocandum esse ex eo colligi potest, quod uerba eius insequentia cum Iustino saepe solo congruunt:

Curt.	Iust.
intuentibus *lacrimae* obortae	cum *lacrimarent* omnes
3: *dimissoque uulgo* .. Propiusque adire iussis *amicis*	5: *dimissis militibus* circumstantes *amicos* percontatur,
2: *inuenietis,* inquit, cum excessero, *dignum talibus uiris regem?*	*uideanturne similem sibi reperturi regem?*
4: adiectis mandatis, *ut corpus suum ad Hammonem ferri iuberent.*	7: Ad postremum *corpus suum in Ammonis templum condi iubet.*
17: Persae ... *non ut uictorem et modo hostem,* sed ut gentis suae iustissimum regem uero desiderio *lugebant.*	XIII, 1, 4: omnes barbarae gentes paulo ante ab eo *deuictae non ut hostem,* sed ut parentem *luxerunt.*

Itaque Curtii lacunam ex eis paucis, quae Iustinus praebet, supplendam esse censeo.

12. De morte Sisigambis, Darei matris, audita Alexandri nece.

Iust. XIII, 1, 5.	Curt. X, 5, 19.
Mater quoque Darei regis, quae *amisso filio* a fastigio tantae maiestatis in captiuitatem redacta *indulgentia uictoris* in eam diem *uitae non paenituerat,* audita morte Alexandri mortem sibi ipsa consciuit, non quod hostem filio praeferret, sed quod pietatem filii in eo, quem ut	Ad Darei quoque matrem celeriter perlata est (sc. fama mortis) . . 24: Ad ultimum dolori succubuit obuolutoque capite . . cibo pariter abstinuit et luce. Quinto, postquam mori statuerat, die exstincta est. Magnum profecto *Alexandri indulgentiae* in eam iustitiaeque in omnes capti-

hostem timuerat, experta esset.

uos documentum est mors huius, *quae cum sustinuisset post Dareum uiuere,* Alexandro esse superstes erubuit. cf. 21: crederes modo amissum Dareum et pariter miserae duorum filiorum exequias esse ducendas.

Apud Diodorum (XVII. 118, 3) haec leguntur: *μετὰ δὲ τὴν τοῦ βασιλέως τελευτὴν καὶ Σισύγαμβις ἡ Δαρείου μήτηρ, πολλὰ καταθρηνήσασα τήν τε Ἀλεξάνδρου τελευτὴν καὶ τὴν ἑαυτῆς ἐρημίαν . . . πεμπταία κατέστρεψε τὸν βίον . .*

Contemplatio igitur illa rhetorice exornata, quam apud Iustinum et Curtium legimus, ad Trogi auctoritatem reuocanda est.

13. Denique unius exempli mentio mihi facienda est, in quo Iustinum quidem in contentionis iudicium uocare non licet, sed Valerium Maximum et Frontinum. Agitur autem de facto Alexandri liberali ac clementi, quod tradiderunt soli Latini: Val. V, 1, ext. 1. Curt. VIII, 4, 15. Front. IV, 6, 3.

Val.

(Alexander) quodam loci niuali tempestate oppressus senio iam confectum Macedonem militem nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi et propinqua igni sede sedens animaduertit. Factaque non fortunae sed aetatis utriusque aestimatione descendit et illis manibus, quibus opes Darii adflixerat, corpus frigore duplicatum *in suam sedem inposuit: id ei salutare futurum, quod apud Persas capi-*

Curt.

(Curtius milites tempestatibus ualde uexatos esse narrauit). Forte Macedo gregarius miles aegre seque et arma sustentans, tamen in castra peruenerat: quo uiso rex, quamquam ipse tum maxime admoto igne refouebat artus, ex sella sua exsiluit torpentemque militem et uix compotem mentis demptis armis *in sua sede iussit considere.* Ille . . . territus surgit. Quem intuens Alexander, ecquid

tal extitisset, solium regium occupasse.	intellegis, miles, inquit, quanto meliore sorte quam Persae sub rege uiuatis? *Illis enim in sella regis consedisse capital foret, tibi saluti fuit.*

Frontinus de eadem re habet haec: Alexander cum hieme duceret exercitum, residens ad ignem recognoscere praetereuntis copias coepit, cumque conspexisset quendam prope exanimatum frigore, *considere loco suo iussit dixitque ei: si in Persis natus esses, in regia sella resedisse tibi capital foret,* in Macedonia nato conceditur.

Cum liber qui fertur quartus Frontini non a Frontino scriptus sit [1]), fieri potest, ut exemplum, quod protuli, ab auctore eius libri non ex Trogo, sed ex Curtio transscriptum sit. Sed ex eis quoque, quae supra de Valerio et Curtio, Trogi Pompei asseclis, disseruimus, cogere nobis licet hoc exemplum ex Trogo esse haustum [2]).

Conferenti mihi postremo Diodorum Iustinum Curtium, qui omnes ad Clitarchum fontem praecipuum primarium reuocandi sunt, id concludi posse uidetur, Diodorum eius memoriam sincerissimam tradidisse, Trogum elocutionem [3]) et enarrationem rhetorice exornatam auribus et iudicio aetatis suae accommodasse, Curtium denique orationem quasi quibusdam uerborum sententiarumque insignibus uariasse et distinxisse.

---

[1]) cf. ea, quae Wachsmuthius (Mus. Rhen. XV, 574 sqq.) Woelfflinus (Herm. IX, 72 cet.) Gundermannus (Commentat. philol. Ien. 1881 I, 83 sqq.) disputauerunt.

[2]) Certius iudicium non ausim facere de Gordio (Iust. XI, 7, 4 et Curt. III, 1, 14), Abdallonymo (Iust. XI, 10, 8 et Curt. IV, 1, 18 cet.), Amazonibus (Iust. XII, 3, 5 et Curt. VI, 5, 24). Sane uerba non adeo inter se consentiunt, ut Curtium ea ex Trogo hausisse perspicuum sit.

[3]) De uariandi studio Trogi cf. Seck, l. c. pagg. 17, 18, 23, 24, 27.

§ 4.

De[1]) Iulio Frontino.

Inter auctores Frontini Trogum Pompeium habendum esse homines doctos minime latuit. Nec tamen quisquam quantum scio accuratius in eam rem inquisiuit.

Ac primum quidem de narratiuncula agamas, quam nisi apud Iustinum et Frontinum non legi.

1. Front. I, 2, 3.

Carthaginienses cum animaduertissent Alexandri ita magnas opes, *ut Africae quoque immineret*, unum ex ciuibus, *uirum acrem nomine Hamilcarem Rhodinum*, iusserunt *simulato exsilio* ire ad regem omnique studio in amicitiam eius peruenire: qua is potitus, *consilia eius nota ciuibus suis faciebat.*

Iust. XXI, 6.

Inter haec *Carthaginienses* tanto successu rerum Alexandri Magni exterriti, uerentes, *ne Persico regno et Africum uellet adiungere*, mittunt ad speculandos eius animos *Amilcarem cognomento Rodanum, uirum sollertia* facundiaque praeter ceteros insignem . . . Igitur Amilcar per Parmeniona aditu regis obtento *profugisse se ad regem expulsum patria fingit* militemque se expeditionis offert. Atque ita *consiliis* eius exploratis . . . *ciuibus suis omnia perscribebat.*

Quod Hamilcaris cognomen apud illum *Rhodinum,* apud hunc *Rodanum* scribitur, id nullius esse momenti arbitror, quoniam Iustini et Frontini codicum manu scriptorum lectiones in his ipsis nominibus minime inter se consentiunt.

2. Secundo loco proponamus fabellam, quae Herodotum in comparationis iudicium uocandi facultatem praebet.

---

[1]) Praenomen delet Gundermannus l. c. pag. 137, codicum optimorum auctoritatem secutus.

Front. I, 11, 19.

Cyrus, rex Persarum, ut concitaret animos *popularium,* tota die *in excidenda quadam silua* eos fatigauit; deinde *postridie* praestitit eis liberalissimas *epulas et interrogauit, utro magis gauderent.* Cumque ei *praesentia* probassent, atqui per haec, inquit, ad illa perueniendum est; nam liberi beatique esse, nisi *Medos* uiceritis, non potestis. *Atque ita eos ad cupiditatem proelii concitauit.*

Iust. I, 6, 4.

Ibi conuocato *populo (Cyrus)* iubet omnes praesto cum securibus esse et *siluam* uillae [1]) circumdatam *excidere.* Quod cum strenue fecissent, eosdem *postera die* apparatis *epulis* inuitat; dein cum alacriores ipso conuiuio factos uideret, *rogat:* si condicio ponatur, *utrius uitae sortem legant,* hesterni laboris an praesentium epularum? *Praesentium* ut adclamauere omnes, ait hesterno similem labori omnem uitam acturos, quoad Medis pareant: se secutos, hodiernis epulis. *Laetis omnibus bellum Medis infert.*

Conferas eiusdem facti memoriam apud Her. I, 125—6 (cum quo fere omnino consentit Polyaen. VII, 6, 7): quae quamquam cum scriptoribus Latinis ac praecipue cum Iustino bene congruit, tamen nec probabile est Frontinum ipso Herodoto esse usum, et uterque auctor Latinus Herodoti *ἐξημερῶσαι ἀκανθώδη χῶρον* (cf. Polyaeni *χωρίον ἀκανθῶδες ἡμερῶσαι*) uerbis *in excidenda . . silua* et *siluam . . excidere* reddidit: id quod mihi demonstrare uidetur ad unum eundemque auctorem Latinum memoriam a Frontino Iustinoque traditam esse reuocandam eosque nemini sua debere nisi Trogo Pompeio.

3. Front. II, 5, 5.

Tomyris, Scytharum regina, Cyrum Persarum regem *ac-*

Iust. I, 8, 9.

(Tomyris[2]*), Scytharum regina,)* hostes *recenti uictoria* exul-

[1]) cf. Ruehl, textesquellen, pag. 139.

[2]) cf. Ruehl, textesquellen, pag. 116.

quo Marte certantem simulato metu elicuit ad notas militi suo *angustias* atque ibi repente conuerso agmine natura loci adiuta deuicit.

tantes pari insidiarum fraude circumuenit: quippe *simulata diffidentia* propter uulnus acceptum refugiens *Cyrum ad angustias usque perduxit.* Ibi conpositis in montibus insidiis ducenta milia Persarum cum ipso rege trucidauit.

Herodotus, quem de hac Cyri contra Scythas expeditione copiosius uerba fecisse supra commemorauimus, de istis Tomyris insidiis nihil tradidit: scilicet Trogus aliam huius belli memoriam cum Herodoti narratione commiscuit.

4. Front. II, 5, 36.

Ventidius Parthos et Labienum, alacres successibus uictoriarum, *dum suos ipse per simulationem metus continet,* euocauit et in loca iniqua deductos adgressus per obreptionem adeo debellauit, ut destituto Labieno *prouincia excederent Parthi.*

Iust. XLII, 4, 7.

(Parthi) Pacoro duce *inita cum Labieno societate* Syriam et Asiam uastauere castraque *Ventidii* . . magna mole adgrediuntur. Sed ille *simulato timore diu continuit se* et insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos laetosque partem legionum emisit, quarum impetu fusi *Parthi in diuersa abiere.*

Quibus non habeo quid addam.

5. Front. II, 11, 3.

Alexander deuicta perdomitaque Thracia *petens Asiam* ueritus ne post ipsius discessum sumerentur arma, *reges*

Iust. XI, 5, 1.

Alexander *proficiscens ad Persicum bellum*...3: *reges* stipendiarios conspectioris ingenii *ad commilitium secum trahit,*

eorum praefectosque et omnes, quibus uidebatur inesse cura detractae libertatis, *secum* uelut honoris causa *traxit*; ignobilibus autem relictis *plebeios praefecit* consecutus, uti principes beneficiis eius obstricti nihil nouare uellent, plebs uero ne posset quidem spoliata principibus.

segniores ad tutelam regni *relinquit.*

Haec quoque apud ceteros auctores frustra quaeras. Iustini *reges stipendiarios* eosdem esse, quos Frontinus Thraciae reges nominat, in oculos incurrit.

6. Deinceps de facto praeclaro agamus, quod M. Porcius Cato Censorii filius in pugna apud Pydnam contra Persen, Macedonum regem, commissa edidit. De quo exemplo iam Kempfius [1]: »Possis«, inquit, »suspicari e Catonis censorii uita, quam singulari libello amplexum se esse ipse testatur Cornelius (Nepos) in breuiore illa Catonis uita adhuc superstite cap. 3, fluxisse (Val.) III, 2, 16 quod fortitudinis specimen Catoni filio, non ipsi patri tribuendam erat, nisi hoc potius a Pompeio Trogo accepit«. Certis autem argumentis hoc exemplum e Trogo fluxisse demonstrari posse confido.

Front. IV, 5, 17.

M. Cato, Censorii filius, in acie decidente equo prolapsus cum se recollegisset animaduertissetque gladium excidisse uagina ueritus ignominiam redit in hostem; *exceptisque* [2]) *aliquot uulneribus reciperato*

Iust. XXXIII, 2, 1.

In ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, *equo delapsus* pedestre proelium adgreditur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore ueluti

[1]) l. c. pag. 19.

[2]) Lectionem Leidensis sec. *exceptisque* pro *ex eoque* Iustini uerbis *multis uulneribus exceptis* defendi censeo.

demum gladio reuersus est ad suos.

Val. Max. III, 2, 16.
Cato (Censorius) cum ab hoste in acie uehementer + paruulo peteretur, *uagina gladius eius elapsus decidit.* Quem subiectum proeliantium globo atque undique hostilibus pedibus circumdatum postquam abesse sibi *animaduertit,* adeo constanti animo in suam potestatem redegit. ut illum non periculo oppressus rapere, sed metu uacuus sumere uideretur. Quo spectaculo adtoniti hostes postero die ad eum supplices pacem petentes uenerunt.

iacentem obtruncaturus circumsteterat: at ille citius *corpore collecto* magnas strages edidit. Cum ad unum opprimendum undique hostes conuolarent, dum procerum quendam petit, *gladius ei e manu elapsus* in mediam cohortem hostium *decidit:* ad quem *reciperandum* umbone se protegens inspectante utroque exercitu inter hostium mucrones sese inmersit *recollectoque gladio multis uulneribus exceptis ad suos* cum clamore hostium *reuertitur.* Huius audaciam ceteri imitati uictoriam peperere.

Conferas, quae leguntur apud Plutarchum uit. Aem. Paul. cap. 21. Magna autem differentia inter memoriam a Plutarcho et ab historicis Latinis traditam intercedit. Etenim Plutarchus, qui memoriam sinceriorem [1]) et puriorem seruauit, iuuenem amisso gladio amicos adiuturos quaerentem facit, quibuscum in hostes irrumpit gladiumque inter caesorum corpora armaque reperit. Contra scriptores Latini, qui ex fonte deriuato hanc narrationem hauserunt, tradunt Catonem in confertissimo hostium globo dimicantem, ita ut eorum multitudine fere opprimeretur nec aciei deserendae, ut amicos quaereret, ulla daretur facultas, gladium amisisse, cuius recuperandi causa acre proelium cum hostibus circumstantibus iniret.

Latinos autem ad unum auctorem, cui sua debeant, reuocandos esse uerborum consensus docet, uelut paene

---

[1]) cf. H. Nissen, kritische untersuchungen über die quellen der 4. und 5. dek. des Liuius, Berolini 1863, pag. 196 sqq. Peter, die quellen Plutarchs in den biographieen d. Röm., Halis 1865, pag. 86.

singula Frontini uerba apud unum alterumue ceterorum scriptorum leguntur: inter Iustinum et Frontinum imprimis haec congruunt:

Front.	Iust.
decidente equo prolapsus cum se recollegisset ... exceptisque aliquot uulneribus reciperato *) *demum gladio reuersus est ad suos.*	*equo delapsus . . . corpore collecto . . . recollectoque gladio multis uulneribus exceptis ad suos . . . reuertitur.*

(*) cf. Iustini *cuius* (sc. gladii) *reciperandi causa*).

inter Frontinum et Valerium haec:

in acie	*in acie*
animaduertissetque *gladium excidisse uagina*	*uagina gladius* eius elapsus *decidit.*

inter Valerium et Iustinum haec:

gladius eius elapsus	*gladius ei elapsus.*

Valerii uerba a Frontino et Iustino ideo longius distant, quod Valerius tumore rhetorico ac paene fastidium afferente utitur.

Frontinum autem hoc exemplum e Valerio hausisse quominus cum Wachsmuthio [1]) statuamus, compluribus causis prohibemur:

a. Valerius foedo errore Catones patrem et filium commutauit.
b. iuuenem equo delapsum gladium amisisse non scribit, id quod apud Frontinum recte legimus.
c. uerba »multis uulneribus exceptis« uel similia fontem praebuisse consensu Frontini et Iustini docetur.
d. Valerium memoria infirma lapsum sua descripsisse neminem, qui eius uerba cum Frontino Iustinoque comparauerit, effugiet.

Neque tamen omnino negari potest Iustinum opus Trogi in epitomen neglegenter redegisse. Quoniam enim Valerius et Frontinus gladium uagina, non manu excidisse consentientes narrant, certo concludendum est etiam fontem com-

[1]) Mus. Rhen. XV, 579.

munem id praebuisse, ut ex Trogo ipso Valerii Frontini Iustini memoria fluxerit.

Ceterum memoratu dignum est totam rem ut a Liuio praetermissam, a Trogo eius aemulo dedita opera inuestigatam uideri[1]).

7. Front. IV, 7, 44.

Pisistratus Atheniensis cum excepisset *Megarensium* classem, qua illi *ad Eleusin noctu* adplicuerant, ut operatas *Cereris sacro feminas Atheniensium* raperent, magnaque *edita caede* eorum ultus esset suos, *eadem, quae ceperat, nauigia* Atheniensi milite compleuit, *quibusdam matronis habitu captiuarum* in conspectu locatis: qua facie decepti Megarenses tamquam suis et cum successu renauigantibus effuse *obuii* inermesque rursus *obpressi sunt.*

Iust. II, 8, 1.

Megarenses . . *matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris noctu* oppressuri naues conscendunt. Qua re cognita *dux Atheniensium Pisistratus* iuuentutem in insidiis locat . . egressosque nauibus Megarenses inopinantes adgressus *deleuit* ac protinus *classe captiua intermixtis mulieribus, ut speciem captarum matronarum praeberent,* Megara contendit. Illi cum et nauium formam et petitam praedam cognoscerent, *obuii* ad portum procedunt, *quibus caesis* Pisistratus paulum a capienda urbe afuit.

Eodem dolo Solonem contra Salaminios usum esse fama uulgaris tradidit, cf. Ael. u. h. VII, 19, Plut. Sol. 8, quem secutus est Polyaen. I, 20, 2. Herodotus (I, 59) nisi *(Πεισίστρατος) πρότερον εὐδοκιμήσας ἐν τῇ πρὸς Μεγαρέας γενομένῃ στρατηγίῃ* nihil habet.

Paucis denique uerbis aliquot exempla mihi absoluenda sunt, de quibus nuper iam Enmannus egit. Qui uir doctus l. c. pag. 6 Frontini II, 2, 14 narrationem de The-

[1]) cf. supra p. 5 et 11.

mistocle Xerxen ad pugnam Salaminiam committendam impellente e Trogo fluxisse coll. Iust. II, 12, 19 contendit. Neque uero uerba adeo consentiunt, ut certum iudicium proponere ausim: res gestae, quas uterque auctor narrat, bene inter se congruunt. — Eodem fere modo se habet Front. I, 1, 10 de Themistocle Lacedaemonios de muris Atheniensibus fallente coll. Iust. II, 15, 1. Enmanno (pagg. 15 et 17) auctore Frontinus Trogi asseclam eo se prodit, quod apud auctores Latinos solos legitur Themistoclem simulato morbo tempus extraxisse ac tum magistratibus *scripsisse.* — Front. I, 3, 6 e Trogo fluxisse Enmannus pag. 21 censet nulla quidem causa prolata:

Front.	Iust. II, 12, 16.
(Themistocles) *auctor fuit eis* (Atheniensibus) *liberos et coniuges* in Troezena et in alias urbes *amandandi relictoque oppido statum belli ad nauale proelium transferendi.*	*Probato consilio* (Themistoclis) *coniuges liberosque* cum pretiosissimis rebus abditis insulis *relicta urbe demandant*; *ipsi naues armati conscendunt.*

Praecipue notanda mihi uidentur esse uerba *amandandi* et *demandant*, quae, quamquam plane diuersa significatio est, communem fontem Latinum indicant. Utro uerbo usus sit Trogus, an fortasse uerbum simplex *mandare* usurpauerit, statuere non possumus. Quod Iustinus pro *Troezena et in alias urbes* scripsit *abditis insulis*, id ad breuitatis studium reuocandum uidetur esse.

Neque uero cum Enmanno consentio, qui (pag. 24) Frontinum I, 11, 7 ex Trogo sua hausisse putat. Frontinus enim tradit Leutychidam ante pugnam apud Mycalen commissam *quamuis ignarum actae rei, uulgauisse nuntiatam sibi uictoriam partium, quo constantiores ad pugnam milites haberet.* Contra apud Iustinum II, 14, 8 reuera *famam ad utrumque exercitum uenisse* legimus. Verba autem, quae sequuntur: *tantam famae uelocitatem fuisse* cet. non Iustino, sed Trogo tribuenda sunt. Nam in ea re imprimis errauisse Enmannum censeo, quod Iustinum libris Trogianis haud

raro declamationes rhetoricas uel similia inseruisse opinatur[1]).

Neque uero omnibus locis certum iudicium fieri potest, quoniam Trogi historiae in breuiorem epitomen a Iustino redactae sunt, quam quae comparandi ansam praebeat: ueluti I, 4, 9 de Poro, Indorum rege (quadrat ad Curt. VIII, 13), I, 7, 7 de Alexandro aquam bibere nolente (fabula saepe et uario modo narrata, cf. Curt. VII, 5, 10, Plut. Al. 42, Arr. VI, 26, Polyaen. IV, 3, 25), II, 3, 19 de aciei apud Arbela instructae ratione (cf. Curt. IV, 13, 30—32); quae II, 5, 17 tradit Frontinus de dolo ab Alexandro usitato, ea conferenda sunt cum Curt. V, 4; numerus copiarum (IV, 2, 4) a ceterorum scriptorum numeris dissentit; exemplum de Alexandro sacrificaturo (I, 11, 14) apud ceteros auctores non legi.

§ 5.

De L. Ampelio et Macrobio.

De L. Ampelii libro qui dicitur memoriali utrum recte necne iudicarit Gutschmidius, decernere uix ausim; scripsit enim l. c. pag. 190 haec: »um dieselbe zeit (i. e. tertio p. Chr. n. saeculo exeunte) hat allem anschein nach L. Ampelius im liber memorialis das geschichtswerk des Trogus benutzt; denn 15, 9 sagt er: Miltiades dux, qui octoginta milia militum Persarum Darii regis praefectis Date et Tisapherne, in saltu Marathonio superauit, im widerspruch mit allen quellen, welche den collegen des Datis Artaphernes nennen, aber in übereinstimmung mit Trogus prol. 2, wo es heisst: Graeciae bellum intulit per Datin et Tisafernem.« Ampelium hoc loco Trogum secutum esse affirmat Ruehlius[2]), contra cuius opinionem scripsit Enmannus[3]). Accuratius de fontibus L. Ampelii disseruit

[1]) cf. quae supra adnotaui pag. 15 adnot. 1.

[2]) textesquellen, pag. 131.

[3]) l. c. pag. 30.

E. Woelfflinus[1]), qui uir doctus recte negat se »de Trogo ab Ampelio adhibito quaestionem ad lucidum perduci posse confidere«. Nec minus cum altera opinione Woelfflini consentio, cuius uerba haec sunt: »Trogo Pompeio deberi uidentur, quae capp. 11 — 13 de regibus Assyriorum, Medorum Persarumque legimus. Nam in hac ipsa historiae parte nescio quem potius auctorem sequi potuerit quam Trogum Pompeium, cuius in libro primo de illis regnis uberius eodemque ordine expositum erat, quem et apud Ampelium habemus«: certa uero ratione comprobari posse Ampelium ex Trogo hausisse nego.

Datis quidem et Tisaphernes apud utrumque auctorem duces a Dareo contra Graecos missi nominantur, cum ceteri rerum gestarum scriptores omnes Datim et Artaphernem uocent, sed numerus copiarum, quae eis ducibus Graeciae bellum intulerunt, plane diuersus est: Iustinus II, 9, 9 Graecos aduersus sescenta milia hostium in proelium esse egressos memoriae prodidit, cum teste Ampelio XV, 9 Miltiades octoginta milia Persarum superarit.

Woelfflinus quidem caput Ampelii quintum decimum ex Trogianis et Cornelianis esse mixtum contendit, sed Cornelius Nepos in uitae Miltiadis cap. V, 4 Datim in aciem peditum centum, equitum decem milia produxisse narrat. Numerus igitur Ampelianus unde fluxerit nos nescire fatendum aut in codicibus manu scriptis corruptum esse statuendum est. Accedit quod nomina propria in codicibus Ampelianis pessime tradita esse sescentis exemplis docetur. Ceterum illud Ampelii *in saltu Marathonio* bene quadrat ad loci descriptionem Cornelianam (V, 3).

Postremo loco de Macrobii saturnalibus pauca uerba nobis facienda sunt. De qua re apud Ruehlium[2]) leguntur haec: »Dass Macrobius sat. I, 11 den Trogus benutzt hat, ergibt sich daraus, dass zwei erzählungen in diesem kapitel

---

[1]) De L. Ampelii libro memoriali, Gottingae 1854, pag. 30 sqq.
[2]) textesquellen, pag. 132 adnot. 1.

mit Justin stimmen, nämlich die von Mikythos und die über die freilassung der sklaven durch die Athener, eine dritte aber, über die Borystheniten, nach den bei Justin vorhandenen andeutungen gleichfalls bei Trogus vorgekommen sein wird und, soweit wir absehn können, von keiner andern quelle des Macrobius erzählt worden sein kann.«

De Micytho cf.

Macrob. sat. I, 11, 29.	Iust. IV, 2, 5.
Anaxilaus enim Messenius ... *cum paruos relinqueret liberos, Micytho seruo* suo *commendasse* contentus est. Is *tutelam* sancte gessit imperiumque tam clementer obtinuit, *ut Rhegini a seruo regi non dedignarentur.*	*Anaxilaus* . . decedens *cum filios paruulos reliquisset tutelamque* eorum *Micytho,* spectatae fidei *seruo, commisisset,* tantus amor memoriae eius apud omnes fuit, ut parere seruo quam deserere regis filios mallent *principesque ciuitatis* obliti dignitatis suae *regni maiestatem administrari per seruum paterentur.*

Res igitur gestae eodem modo apud utrumque auctorem narrantur: causa uero, ob quam Rhegini serui dominationem tulerint, diuersa est: apud Macrobium sanctitas et clementia Micythi, apud Iustinum amor, quem Rhegini regi defuncto praestiterunt. Qua causa num prohibeamur, ne Macrobium Trogi asseclam esse putemus, nolo decernere.

Similis condicio est secundi, quem proposuit Ruehlius, loci:

Macrob. I, 11, 34[b].	Iust. V, 6, 5.
Athenienses quoque *consumptis publicis opibus seruis libertatem dederunt.*	Quo proelio perditis et desperatis rebus ad tantam inopiam rediguntur, ut *consumpta militari aetate* .. *seruis libertatem* . . *darent.*

Etenim nimis uaga Macrobii narratio mihi uidetur esse, quam ex qua certi quicquam concludere nobis liceat.

De Borysthenitis oppugnante Zopyrione seruos liberantibus (Macrob. I, 11, 33) Ruehlius ipse certum iudicium non

profert. Quater quidem Iustinus Zopyrionis contra Scythas expeditionis mentionem facit, nec tamen usquam id, quod tradit Macrobius, commemorat. Utrum uero apud Trogum ipsum lectum fuerit necne, diiudicare non possumus.

Earum rerum, quae supra singillatim expositae sunt, nunc summam repetamus: Trogi igitur historiis complures scriptores fonte usi sunt: Valerius Maximus et Frontinus in numero quodam exemplorum, Velleius Paterculus in priore historiae parte, in qua, priusquam ad ipsas res a Romanis gestas tractandas aggrederetur, tamquam praefationis loco exterarum gentium res praecipue memoratu dignas praemisit. Curtium quoque Rufum ex Trogi historiis haud pauca hausisse demonstrauimus.

De L. Ampelio et Macrobio non satis in propatulo res nobis uidebatur esse.

Primo igitur p. Chr. n. saeculo Trogi auctoritas magnopere floruit. De insequentibus temporibus Gutschmidius l. c. disputauit. Ex secundo p. Chr. n. saeculo nullo euincitur testimonio ullum scriptorem Trogi opere esse usum. Saeculo tertio eius mentio fit a Vopisco. Deinceps inde a pag. 191 usque ad pag. 202 Gutschmidius auctorem nostrum a grammaticis nonnullis Iunilio Flagrio, Seruio, Prisciano, denique ab historico Iordane saeculo sexto lectum esse et commemoratum demonstrat.